De epyllio Alexandrino.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

JOHANNES HEUMANN
IN URBE KOENIGSEE NATUS

MCMIV

De epyllio Alexandrino.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

JOHANNES HEUMANN
IN URBE KOENIGSEE NATUS

KOENIGSEE MCMIV
TYPIS EXPRESSIT SELMAR DE ENDE.

Rettulerunt ad Ordinis philologos de hac dissertatione
WACHSMUTH LIPSIUS
Lipsiae d. XXIII m. Februarii a. MCMIV
Procancellario HOELDER.

CURTIO WACHSMUTH
EDGARO MARTINI

Prooemium.

Inter poetas Alexandrinae aetatis, qui carmina narrativa scripserunt, duae discerni possunt factiones: altera antiquam Homericorum carminum consuetudinem retinere conabatur, altera, quia hunc modum suo tempori non convenire censebat[1]), ad nova tendebat[2]). De his novis studiis primus[3]), quantum scimus, et omnium disertissime verba fecit Callimachus. Recte enim cognoverat se facultate carminis heroici conscribendi carere[4]). Neque solum sibi ipsi, sed etiam aliis poetis Alexandrinis ad tale carmen componendum vires non sufficere probe sciebat. Itaque magnum librum appellat magnum malum (fr. 359) et artem σχοίνῳ metiendam esse negat[5]). Sed magnitudo ipsa ei causa offensionis esse non potuit. Potius heroica carmina magna sprevit, quia *multum limum* continere solebant (v. hymn. II 108 sq.). Neque iniuria viam poetarum, qui etiamtum Homerum[6]) imitabantur, nimis tritam dixit. Cf. epigr. XXVIII, quod huc, non ad poetas Ionicos Homeri vestigia persecutos, etsi eos Callimachus haud ita

---

[1]) Et profecto aetas Alexandrina carminibus heroicis componendis non opportuna erat; cf. Rohde, *Der griech. Roman und seine Vorläufer*, p. 19—21 (prioris edit.).

[2]) *Poetas novos* huius factionis poetas brevitatis causa nomino.

[3]) Nam Theocritum c. VII 45—48 sententiam Philetae referre Rohde (l. l. p. 22) non recte conicere mihi videtur, quia nulla re demonstratur *Thalysia* ab adulescente Theocrito composita esse. Malo propter prima carminis verba putare inter carmen et res, ad quas poeta respicit, aliquantum temporis intercessisse.

[4]) Fr. 165, quocum Dilthey (*an. Call.* p. 5) apte fr. 490 coniunxit; cf. Schneider, *Callimachea* II p. 647.

[5]) Fr. 481, cf. Rohde, l. l. p. 22 n. 3.

[6]) Homero ipsi *poetae novi* quodam modo contrarii esse sibi vide-

magni aestimasse videtur [1]), referendum est; ut enim verbum ἐγκύκλιος paulatim in deteriorem sententiam abiit, ita κυκλικός hoc loco haud dubie contemptim de re trita dictum est [2]); atque similiter Pollianus (anth. Pal. XI 130) Callimachi epigramma imitatus aequales poetas nuncupat κυκλίους.

Novi igitur *poetae*, si et ipsi argumenta ex mythis heroicis petebant, rebus quae non placebant omissis singula quaedam eligebant, quae carminibus parvis prosequerentur [3]). Praecipue autem *legendas* [4]) adhibebant; easque modo singulas poematis minutis tractabant, modo earum quasi fasciculos componebant [5]), aut elegiaco [6]) metro aut heroico [7]) usi.

---

bantur neque volebant ei uni paene omnem laudem tribui (cf. Theocr. XVI 20. Neque tamen credibile est eos parvi eum fecisse; v. Gercke, *mus. Rh.* 44, 129 sq.

[1]) Cf. ea quae Dilthey (*De Call. Cydippa*, p. 8—10) de Call. epigrammate VI disputavit.

[2]) Cf. Immisch, *Griech. Studien für Lipsius*, 1894, p. 119. Disceptatum est, utrum Callimachus ad tritum genus dicendi an ad argumenta poematum spectaverit; sed nescio, cur alterutrum hoc epigrammate significasse putetur, quoniam utrumque ei displicuisse constat.

[3]) Hoc genus erat antiquissimum poesis narrativae, neque tum, cum ex eo enata essent carmina epica magna, vigere desiit, etsi poemata parva magnis obscurata sunt et praeter unum, *scutum Herculis* Hesiodo ascriptum, perierunt.

[4]) Cf. de eis Welcker, *Griech. Götterlehre* I 95 sqq., et Rohde, l. l. p. 24. — Hae fabulae, quippe quae ex interpretatione insolitorum morum, cognominum, rituum, aliarum rerum exortae essent, et cupiditati rerum mirabilium et doctrinae studiis conveniebant. Accedit, quod permagnus numerus earum ad amorem pertinebat, quem affectum poetae Alexandrini libentissime depingebant. Ceterum etiam fabulae heroicae, in quibus amor quendam locum obtinebat aut quibuscum *legendae* amatoriae concreverant, *poetis novis* acceptae erant.

[5]) De his carminibus cf. praecipue Rohde, l. l. p. 82—97.

[6]) Hoc metrum proprietati *legendarum* primum a melico poeta Stesichoro litteris mandatarum (cf. Rohde, l. l. p. 28 sq.) aptissimum est. Praeterea *fasciculi fabularum* elegiis eorum poetarum Alexandrinorum, qui fabulas ad se suosque affectus spectantes narrabant, proximi erant; cf. ea quae Rohde l. l. p. 72 sqq. de poesi elegiaca Alexandrina disseruit.

[7]) Hexametri interdum adhibiti sunt ab Euphorione (cf. Meineke, *analecta Alex.* p. 12 et 22, Rohde, l. l. p. 90) et a poetis Metamorphoseon.

De verbo *epyllii.*

Carmina parva narrativa nunc solent nominari *epyllia*. Verbum *ἐπύλλιον* in libris Graecis admodum raro occurrit et plerumque notionem versiculi (praecipue in Aristophanis comoediis) habet; semel, quantum scio, de carmine parvo dictum est, Athen. II 65 a: *τὸ εἰς Ὅμηρον ἀναφερόμενον ἐπύλλιον, ἐπιγραφόμενον δὲ Ἐπικιχλίδες.* [1]) Quo loco etsi *ἐπύλλιον* vim usui nostrorum virorum doctorum similem habere videtur, tamen non puto hoc nomine usos esse scriptores antiquos, ut proprie illa carmina narrativa minoris ambitus significarent. Hic enim alia verba adhibent, ut *ἔπος, ποιημάτιον;* quamquam eo magis exspectaveris eos nomine proprio usos esse, quod carmina epica parva magnis distincte opposita fuerunt. Quodsi viri docti recentes verbo *epyllii* utuntur nullo exemplo antiquo nixi, apparet usum apud eos ancipitem esse, quia vim, quae e notione deduci potest, i. e. quodlibet parvum carmen hexametris scriptum, contrahere solent suo quisque iure. Breviter igitur exponam, quoniam de genere epylliorum disserere mihi proposui, quibus finibus ego notionem *epyllii* circumcludam. Comprehendam ea carmina narrativa parva, quae supra denotavi, exceptis elegiacis, [2]) quamquam haec nisi metro vix longe a carminibus hexametris conscriptis seiuncta fuisse videntur; nam carmina elegiaca narrativa a grammaticis antiquis semper in elegiis, numquam in carminibus epicis habita sunt. Carminum heroico metro compositorum omnia excludo, quae alio atque ad narrandum tendunt, etsi in eis multa narrantur, ut hymnos et carmina, quibus

---

[1]) De hoc carmine nihil constat nisi in eo res amatorias non defuisse, v. Athen. XIV 639 a.

[2]) Ceterum omnes hae elegiae Alexandrinae perierunt praeter paucos versus *Scyllae* Hedylae et *Erigonae* Eratosthenis. Poetae Alexandrini videntur maluisse versibus heroicis componere haec carmina parva quam metro elegiaco.

praecepta quaedam traduntur. Deinde segrego ea poemata, quorum argumenta non ad res fabulosas, sed ad historicas spectant. Neque tractabo carmina poesis ludibundae. Porro praetermitto narrationes omnes, quae partes sunt aliorum carminum, ut singulas narrationes *fasciculorum*, etsi per se perfectae sunt. Denique quod attinet ad magnitudinem, mensura, quia notio *parvi* incertissima est, accuratius determinari non potest, nisi quod licet hoc poscere, ne carmina extra modum unius libri egrediantur. Maioris momenti sunt illae duae condiciones supra constitutae, ut aut singulae res e cyclo heroicarum fabularum depromantur, aut *legendae* fabulaeve amatoriae, quae per se perfectae sunt suumque orbem conficiunt, tractentur.

Caput I.

De poetarum Alexandrinorum discidio.

In tabula Callimachi operum, quam exhibet lexicon Suidae, leguntur haec: *Ἶβις· ἔστι δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν εἴς τινα Ἶβιν γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ Καλλιμάχου. ἦν δὲ οὗτος Ἀπολλώνιος ὁ γράψας τὰ Ἀργοναυτικά.* Haec verba in margine adnotata irrepsisse in textum neque ullam habere fidem ostendere studuit Jurenka [1]), sed refutatus est a Knaackio (*Berl. phil. Wochenschr.* 1886, 876 sq.; cf. Ehwald, *Burs. Jb.* 1885 II. p. 149). Neque maiorem vim habent ea, quae Spiro [2]) protulit, ut demonstraret totam Callimachi operum tabulam Suidanam fide carere; neque enim dubium est, quin hi Suidae indices ex bibliothecarum catalogis petiti bonae auctoritatis sint (cf. Wachsmuth in *Symb. philol. Bonn.* p. 148, Daub, *Jb. f. Phil. Suppl.* XI p. 465). Praeterea Suidae verba comprobata sunt epigrammate Bernensi (saecl. VI—X) a Reitzensteino (*Herm.* XXVI p. 308 sqq.) publici iuris facto, quod editioni cuidam operum Callimachi quasi argumentum praefixum fuisse consentaneum est. Cuius versus 8 est hic: *σκώπτω* (cod. *σκόπτω*) *δ' ἐπ' ἀραῖς Ἶβιν Ἀπολλώνιον* [3]).

Plura de discidio cognoscemus cum his testimoniis collato epilogo hymni II Callimachi. Sunt qui hunc epilogum

---

[1]) *Quaestiones criticae I: de Callimacho Apollonii Rhodii inimico, Progr. Wiener-Neustadt* 1885, p. 8 sqq.

[2]) *Rendiconti della reale accademia dei Lincei, Ser. V, vol.* II, p. 337 sqq. (v. praecipue p. 343 sqq.).

[3]) Ibin esse Apollonium Rhodium haud dubie legebatur in commentario quodam, quo carmen explicationis valde indigens diu carere non poterat, et quo iam tum, cum de his rebus certa sciri poterant, instructum esse verisimillimum est. Cf. Gutschmid, *Kl. Schr.* I p. 7 n. 2.

in universum contra magnorum carminum epicorum auctores scriptum esse censeant, ut Jurenka (l. l. p. 6 — 8) et Cessi (*studi di fil. class.* VII p. 372). Sed tam proprie verba dicta sunt (cf. praecipue vs. 105, 107, 113), ut ad certum poetam spectare mihi videantur, qui aliquo modo Callimachum lacessiverat. Hic inimicus quis fuerit, ex illis de Ibide testimoniis colligere licet. Neque hoc dubium est, quin epilogus sit poetae de adversario triumphantis (v. Wilamowitz, *Nachr. d. Gött. G. d. W.* 1893, 744). Incertiora sunt cetera, quae viri docti opinati sunt, ut sententia Knaackii, qui Callimachum verbis *Φθόνος Ἀπόλλωνος* (vs. 105) nomen Apollonii et antecedentibus versibus 97 sqq simile argumentum Argonauticorum (II 705 sqq.) significasse coniecit [1]. Neque definiri potest condicio rerum, quibus haec Callimachi verba excitata sunt. Neque enim licet e verbis vs. 107: *ποδί τ' ἤλασεν* efficere Apollonium e sodalicio poetarum Alexandrinorum exclusum esse [2], neque demonstrari potest coniectura Studniczkae (*Herm.* XXVIII p. 15) opinati Apollonium a Ptolemaeo Euergeta, apud quem anno a. Chr. n. 247 regem factum conatus esset Callimachum criminari, repulsam tulisse.

Ad vs. 106 huius hymni exstat scholium: *ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην.* Callimachus igitur, si scholio confidimus, aut epilogo hymni in magnorum carminum poetas invectus est, quamquam antea ipse neglectis rationibus suis poeticis magnum carmen scripserat, aut adversariorum postulatis obtemperavit, postquam eos propter magna carmina in illo hymno aggressus est. Clare enim apparet *Hecalam* ei, qui verba *ὅθεν κτλ.* scripsit, magnum carmen visam esse [3], sive totum scholium ab uno originem duxit, sive illa verba scholio nescio quando addita sunt. At plane

---

[1]) *Berl. ph. W.* 1886, 877 et *P.-Wiss. Realencycl.* II 127.

[2]) Hoc Rannow, *Wochenschr. f. kl. Ph.* 1896, 485 recte monuit.

[3]) Etsi *Hecale* haud ita parva fuisse videtur, tamen Callimachus aliter de hac re sensit, cf. Wilamowitz, l. l. p. 744.

incredibile est Callimachum tam ridicule se gessisse. Ergo scholii pars posterior nullius pretii est.[1]) Sed etiam pars prior vilis est, quia sententia, quam continet, e verbis hymni ipsius collecta esse videtur.

Ad ea, quae scholio traduntur, rettulerunt viri docti fr. 287 Call.: *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκὲς ἤνυσα,* ut Schneider (*Callimachea* II p. 510). Sed praeterquam quod scholium, ut vidimus, fide caret, neque scimus, unde pendeat illud *εἵνεκεν,* neque omnino constat hoc fragmentum[2]) fuisse *Hecalae.*

Ad discidium Callimachi et Apollonii deinde ea relata sunt, quae de Apollonii Argonauticorum recitatione ad irritum redacta traduntur. At Maass[3]) vitas Apollonii, praeterquam quod 'habent Vitae, quod excellat bonitate, in initio', fide carere[4]) ostendit. Maxime enim inter se discrepant haec verba vitae I: *ὀψὲ δὲ ἐπὶ τὸ ποιεῖν ἐτράπετο. τοῦτον λέγεται ἔτι ἔφηβον ὄντα ἐπιδείξασθαι τὰ Ἀργοναυτικὰ καὶ κατεγνῶσθαι.* Neque tollitur haec discrepantia, si cum Susemihlio et Odero illud *ὀψέ* 'verhältnismässig spät' vertimus. Priorem sententiam alteri temerarie adiunctae praeferendam esse non solum e tota Maassii argumentatione, sed etiam e verbo *λέγεται* elucet (cf. Knaack, *P.-Wiss. R.* II 126). Gravissimum autem

---

1) Tamen non desunt, qui scholium defendant, sive discrepantiam, quae in eo inest, non perspiciunt, ut Weinberger, *Kallimach. Studien,* 1895, p. 20, sive alia audiunt ac scholio dicta sunt, ut Susemihl, *Alex. Litt.* I p. 355, qui scholium sic circumscribit: 'er habe durch dies kleine Epos die Anschuldigung widerlegen wollen, als rühre seine Anfeindung jenes Mannes nur daher, weil er selber kein fortlaufendes episches Gedicht zu schaffen im Stande sei'. Ceterum parvo carmine ne redarguisset quidem hanc accusationem.

2) De hoc fragmento tam multae coniecturae prolatae sunt, ut vel inde appareat, quam incerta res sit

3) *Aratea (Kiessl.-Wil. Unters.* XII) p. 332—337.

4) Susemihl quidem censet *Jb. f. Phil.* 147 p. 46: 'aber dabei kann doch ein stück wirklicher überlieferung mit benutzt sein'; similiter Oder, *W. f. kl. Ph.* 1893, 621. Licet res ita se habeat, tamen nescio, quomodo vera a falsis segregari possint.

ad nostram de discidio quaestionem diiudicandam est hoc, quod tribus vitis comperimus Apollonium discipulum Callimachi fuisse.

Testimonium inimicitiarum Callimachi et Apollonii multis viris doctis esse videtur epigramma *'Απολλωνίου γραμματικοῦ* (anth. Pal. XI 275), quo vehementer atque insulse Callimachus irridetur. Rhodium Apollonium auctorem esse incertum puto, quamquam lemmate anth. Pal. epigr. VII 41 (in Duebneri ed. I p. 423) diserte nominatur *'Απολλώνιος ὁ Ῥόδιος ὁ γράψας τὰ 'Αργοναυτικά.* Licet scriba C hoc ex antiquiore fonte hauserit, ut Finsler (*Krit. Unters. zur Geschichte der griech. Anth.* p. 153) vult, tamen lemmati magnam fidem tribuendam esse propterea nego, quod facillime fieri poterat, ut grammaticus quidam vel librarius epigramma XI 275 Apollonio Rhodio ascriberet; nam carmen, quod Callimachus contra *Ibin Apollonium* scripsit, etiam aetate Byzantina lectitatum esse apparet ex epigrammate illo Bernensi supra (p. 9) allato; notum igitur erat Apollonio Rhodio cum Callimacho rixam fuisse. Ergo de epigr. anth. XI 275 hoc statuo: Apollonium Rhodium auctorem esse neque affirmari potest neque negari[1]).

Aliud epigramma, quo Apollonius Callimachum aggrederetur, Knaack (*Jb. f. Phil.* 143 p. 771) ex indiculo fontium, qui fabulae Batti ab Antonino Liberali cap. 23 narratae ascriptus est, eruere conatus est coniecturae nimis indulgens; neque enim pauca haec verba *ἱστορεῖ ἐν ἐπιγράμμασιν* sufficiunt ad epigramma eius argumenti, quod Knaack vult, cognoscendum.

En testimonia antiqua [2]).

At viri docti nostrae aetatis maxime operam navaverunt, ut locis similibus diversorum poematum inter se collatis ordinem carminum et rationes inter poetas interce-

---

[1]) Quae Sakolowski (*de anth. Pal. quaestiones*, p. 49 sqq.) contra Apollonium Rhodium protulit, non sunt gravia.

[2]) Videmus omnem nostram discidii cognitionem pendere ex amborum de Ibide testimoniorum fide, quae si eis abrogatur, totum discidium revocatur ad incertum.

dentes indagarent. Sed obstat magna difficultas: etsi saepe similes loci inveniuntur, tamen raro diiudicari potest, uter prior sit, et multo rarius, quo consilio alter poeta alterum respiciat. Neque tamen defuerunt, qui subtilissime cognovisse sibi viderentur, quae ratio inter binos locos intercederet; putantur nempe poetae alterius verba repetendo modo amicum honorare, modo id studere, ut cum inimico compararentur, modo adversarium superare in animo habere, modo res ab eo male tractatas corrigere. Equidem poetas Alexandrinos alterum ad alterum variis modis spectasse non nego, sed hoc nego nos illa discrimina tenuissima perspicere posse. Nam quomodo, ut exemplum afferam, ex eo, quod alter poeta eandem rem melius tractavit altero, cognosci potest inimicos eos fuisse? Si nihilominus e rebus tam incertis viri docti concludunt, facillime fieri potest, ut secundum ea, quae demonstrare in animo habent, occupato iudicio locos interpretentur. Qua ratione conati sunt demonstrare haud paucos locos nonnullorum carminum ad discidium pertinere vel tota carmina propter discidium scripta esse. Quae carmina cum fere omnia epyllia sint, facere non potui, quin de his rebus quamvis saepe tractatis denuo uberius exponerem. Neque supervacaneum puto rem retractare, quia video illam viam ac rationem, quam notavi, etiamnunc permultis probari [1]) et plurimos eorum, qui tempore proximo has res attigerunt, his fundamentis infirmissimis nixos esse. Neque tamen omnia argumenta, quae prolata sunt, sed gravissima tantum examinabo et ea imprimis, quae ad epyllia spectant. Conabor igitur definire, q u a e r a t i o i n t e r d i s c i d i u m p o e t a r u m e t s i n g u l a e p y l l i a f u e r i t.

Primum quaeram, quae e carminibus Callimachi et Apollonii de hac r e colligere liceat.

Incipiam a sagaci coniectura Useneri, quam Gercke (*mus.*

---

[1]) Reiecerunt eam imprimis Wilamowitz (*Nachr. d. Gött. G. d. W.* 1893, 741 sqq.) et Rannow (variis locis).

Rh. 44, 135 sq.) exposuit: ad prooemium Argonauticorum ubi Apollonius solum Apollinem invocavisset, Musis autem servis usus esset (cf. I 22: *Μοῦσαι δ'ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς*), respondisse Theocritum XXII 116: *εἰπέ, θεά, σ ὺ γ ὰ ρ ο ἶ σ θ α· ἐγὼ δ'ἑτέρων ὑ π ο φ ή τ η ς φθέγξομαι, ὅσσ' ἐθέλεις σὺ καὶ ὅππως τοι φίλον αὐτῇ*, et similiter Callimachum locutum esse h. III 186: *εἰπέ, θεά, σ ὺ μ ὲ ν ἄ μ μ ι ν, ἐ γ ὼ δ'ἑτέροισιν ἀείσω;* quibus admonitum Apollonium in libris posterioribus Musis suum tribuisse (cf. Gercke l. l. p. 249 n. 3). Qua opinione probata docemur Apollonium carmen non uno tempore, sed singulas deinceps partes edidisse, et hymnus III praebet quasdam ansas ad definiendum Argonauticorum tempus. Sed coniectura Useneri refutatur, opinor, Pindari fragmento 150 (Bergk): *Μαντεύεο Μοῖσα, προφατεύσω δ'ἐγώ*, quem locum sive Callimacho Theocritove sive utrique [1]) exemplo fuisse perspicuum est. Quodsi non est, cur Theocritum aut Callimachum ad Apollonium spectasse putemus, illa quoque de Apollonii (in libr. III et IV) correctione opinio corruit. Neque comprobatur Useneri coniectura Callimachi fragmento 77, quo Callimachum Apollonio idem obiecisse Gercke l. l. p. 136 censuit; nam artificiis missis interpretati fragmentum referemus ad carmina mercede scripta.

Deinde librorum III et IV Argonauticorum nonnullos locos attulerunt viri docti, in quibus vestigia inimicitiarum repperisse sibi visi sunt. Quorum locorum duo ad Callimachi hymnum III relati sunt, Arg. III 876 sqq. ad h. III 110 sqq. [2]) et Arg. III 1343 sq. ad h. III 175 [3]). Sed ex his locis ne id quidem apparet, uter poeta antecesserit, nedum inveniamus inimicitias. Ceterum Gercke perspexisse non vi-

---

[1]) Uterque Pindaricae poesi studuit. De Theocriti studiis Pindaricis cf. Kuiper in *Mnemos.* XVII p. 383—87, de Callimachi initium scholii Pyth. II.

[2]) V. Knaack, *P.-W. Realencycl.* II 128.

[3]) V. Gercke, *mus. Rh.* 44, 250, cui assentitur Weinberger, *Pap. Erzh. Rainer* VI p. 17.

detur, quo Apollonius III 1343 sq. tendat. Nam κεκμηῶτες ἐργατῖναι opponuntur ἀκαμάτῳ ἀροτῆρι, quo Iason magis celebretur; irrisio, de qua G. ipse iudicat: 'man kann nicht behaupten, dass der Hieb sässe', non inest; illud vero τετράγυός περ ἐοῦσα ad alios Argonauticorum ipsorum locos, ut III 412, 497, referendum est. Ergo Argonauticis et hymno III comparatis de inimicitiis nihil edocemur. Secundo in hymno Callimachum in Apollonium invectum esse iam vidimus (p. 9 sq.); sed etiam Apollonium ad illos versus in Argonauticis (III 927-47) respondisse censuerunt homines docti rati aut versus hymni ante Arg. librum III scriptos esse (ut Merkel, *prolegg. ad Arg.* p. XVIII sqq.) aut vs. 927—47 ab Apollonio editioni alteri additos esse (ut Linde, *de diversis recensionibus Ap. Rh. Argonauticon*, 1885, p. 34 sqq. vult). Imprimis hoc quaeritur, sitne ratio quaedam inter Arg. III 932 et h. II 106. Assentior equidem Wilamowitzio, qui id negavit [1]) et potius hanc Argonauticorum partem, in qua cornix inducitur, ad *Hecalam* pertinere contendit (l. l. 741 sqq.). Hinc apparet Arg. libros III et IV post *Hecalam* scriptos esse. Qua in re omnes consentire videntur, sed disceptatur, utrum Apollonius Callimachum imitatus sit an aggressus. Wilamowitz magnam partem libri III Arg. interpretatus hoc conclusit (p. 743 sq.): 'So ist denn . . . alles aus sich heraus verständlich. . ., damit verliert jeder Versuch, litterarische Polemik in den Worten der Krähe zu finden, seine Berechtigung. . . . Apollonios imitirt den Kallimachos . . . Ganz und gar gescheitert sind alle Versuche, in unsern Argonautika Spuren von der Feindschaft des Schülers wider seinen Lehrer zu finden'. Sed post Wilamowitzium denuo viri docti conati sunt demonstrare in Arg. libris III et IV vestigia inimicitiarum exstare. In his Knaack argumenta gravissima collegit (*P.-W. R.* II 128), qui censet scriptos esse Arg. III 927—47 contra *Hecalae* loquacem cornicem (cf. *Berl. ph. W.* 1894, 425),

---

[1]) Cf. argumenta, quae W., *Nachr. d. G. G.* 1893, p. 743 n. 1 attulit.

III 277 contra *Hec.* fr. 46, IV 217 sqq. contra *Hec.* col. I 11 sq., III 876 sqq. contra hymn. III 110, IV 1694—1730 contra fabulam in *Aetiis* narratam [1]). Quod attinet ad narrationem cornicis, satis habuit K. affirmare: 'In Wahrheit will Apollonios die Erzählung der geschwätzigen Krähe in der Hekale lächerlich machen'; quid narrationis aut quomodo irrideatur, neque K. attulit neque ego perspexi. Nec quisquam si integro animo ceteros locos ad *Hecalam* pertinentes examinaverit, vestigia inimicitiarum reperiet. Nisi aliunde constaret *Hecalam* his libris priorem esse, ne hoc quidem sciremus, uter poeta alterum praecesserit. Denique in lubrico versari eos, qui inimicitias demonstrare student, elucet ex ipsorum verbis: 'mit versteckter Polemik, die oft nur in einer leisen Modifikation liegt' (K. l l. II 128) et 'so kann.. das Streben, den Gegner zu übertrumpfen, in der eigentlich unnöthigen Einführung der Krähe liegen' (Weinb. *Kall. St.* p. 18 sq.). Videmus igitur Wilamowitzii sententiam nullo eorum, quae postea prolata sunt, argumentorum labefactatam esse.

In prioribus duobus libris Apollonium non inimicum Callimachi se praebuisse viri docti consentire videntur, dissentiunt autem de huius partis Argonauticorum et *Hecalae* ordine. Atque Knaack quidem (l. l. II 128) in his libris Apollonium sequi vestigia Callimachi censet; contra Weinberger (*Pap Erzh. Rainer* VI 16 sqq. et *Kall. St.* p 19 sqq.) Gerckium [2]) secutus *Hecalam* post Argonauticorum libros I et II, sed ante libros III et IV editam esse demonstrare conatus est, sed infirmissimo nititur fundamento: nam quae de *Hec.* fr. 46, Arg. I 1265, III 277 statuit (*Erzh. R.* VI 17), ea nimis arguta sunt, quam ut eis fidem tribuam, et ipse in altera disserta-

---

[1]) Cf. *Callimachea*, *Progr. Stettin*, 1887. Sed ex eo, quod fortasse Apollonius rem melius magistro tractasse sibi visus est cf. K. p. 4), inimicitiae colligi non possunt.

[2]) *Mus. Rh.* 44 p. 145 n. 5 et p. 149. Callimachum locos carminis discipuli imitatum esse his verbis explicat: 'damit die Sterne des Musenhofes in der nächtlichen Umgebung noch heller strahlten.'

tione (*Kall. St.* p. 20) haud ita confidenter de sua coniectura loquitur. Neque igitur e locis similibus colligi potest, utrum *Hecale* an Arg. libri I et II antecesserint. Tamen, quoniam vidimus Apollonium in libris posterioribus vestigia Callimachi sequi, veri haud dissimile est antea quoque discipulum a magistro quaedam mutuatum esse. Neque obstat huic sententiae prologus *Hecalae,* quia e nullo fragmento prologus contra adversarios scriptus, quem Naeke aliique restituere conati sunt, erui potest (cf Wilam. l. l. p. 740). Et profecto mirum esset, si Apollonius carminis contra se scripti locos imitatus esset. Eamque ob rem verisimile mihi videtur tota Argonautica ante discidium composita esse [1]).

Quo anno discidium initium ceperit, secundum ea, quae adhuc disserui, accurate definiri non potest. Videntur mihi reputanti Apollonium Callimachi discipulum fuisse et ὀψέ ad poesin se vertisse inimicitiae non ante annum 270 exortae esse neque post 247, quia hymnus secundus Call. intra annos 257 et 247 scriptus esse videtur [2]). Ergo inter 270 et 247 Callimachum et Apollonium ad inimicitias descendisse censeo. Qui accuratius discidii tempus definiverunt, ut Knaack [3]), qui initium inimicitiarum annis 265 — 60, aut

---

[1]) Eorum argumentorum, quae de Argonauticorum libris separatim editis prolata sunt, nullum constat. Plurima iam reieci, restant duo argumenta Knaackii (*P.-W. R.* II 127). Sed neque ex eo, quod in libris III et IV elisiones vocalium nominum substantivorum rariores sunt (v. Beneke, *Progr. Bochum* 1884 p. 18), neque ex eo, quod libri III et IV propriis prooemiis praediti sunt, illud concludere licet. Prooemiis enim Apollonius carminis partes secrevit: in prima parte (l. I et II) Argonautarum in Colchidem iter tractavit, in altera (l. III) res in Colchide gestas, in tertia (l. IV) heroum reditum. Quae cum ita se habeant, inde de tempore singulorum carminis librorum nihil colligi potest. Nullo igitur modo demonstratum est libros Argonauticorum diversis temporibus editos esse.

[2]) Haec Rannowii opinio *W. f. kl. Ph.* 1895, 543 sq.) inter omnes de hac re prolatas (v. Ehrlich, *Bresl. phil. Abh.* VII p. 58) maxime probabilis mihi videtur esse. Ceterum definitio temporis discidii vix mutatur, si malueris cum Studniczka Ehrlichio aliis putare hymnum anno 247 aut paulo post scriptum esse.

[3]) *P.-W. R.* II 126. Quod Knaack e Gell. XVII 21, 42 concludit:

Cessi [1]), qui circiter anno 262 id ascribit, satis firmo fundamento carent. Ac ne ordo quidem carminum ad discidium spectantium constitui potest: neque scimus, quo discidii tempore Call. hymnus II scriptus sit, neque, quando *Ibis* [2]); neque Callimachum *Ibide* ad epigramma anth. Pal. XI 275 respondere (ut Knaack l. l. 128 vult) efficeretur, etiamsi illud epigramma Apollonii Rhodii esse constaret.

Sed fortasse plura cognoscemus de discidio reputantes, quatenus Theocritus eius particeps fuerit. Quem id. VII 45—48 ad carmina heroica magna spectare paene omnes consentiunt; neque haec simplex versuum illorum interpretatio a Legrandio (*Etude sur Théocrite* 1898 p. 406) labefactata est, qui hos versus non ad poematum genus aut ambitum pertinere, sed omnino contra Homeri gloriae aemulos scriptos esse ait At discrepat inter viros doctos, utrum hi versus omnino contra intempestivorum carminum heroicorum poetas an contra solum Apollonium scripti sint. Demonstrari neutrum potest: neque enim numero plurali *Μοισᾶν ὄρνιχες* cogimur complures adversarios intellegere [3]) neque quidquam indicat Apollonium [4]). Mihi quidem Theocritus non tam aggredi videtur certum aut certos adversarios quam declarare se ab illa poesi intempestiva abhorrere. Plura ex illis verbis effici non puto.

Nec quidquam inde lucramur, quod Theocritum quasdam fabulas in Argonauticis tractatas correxisse nonnulli viri

---

'sicher nicht über 260 hinaus', incertissimum est; neque enim video, quo iure Gellii verba 'Callimachus apud Ptolemaeum regem celebratus est' ad illud discidium referantur.

[1]) *Studi di fil. class.* VII p. 405—408. Quanti ea, quae Cessi de hac re protulit, sint, elucet ex eo, quod de anno, quo Apollonius natus sit, Susemihlii sententiam incertissimam (a Sus. ipso *Al. Litt.* II p. 670 destitutam) sequitur, quamquam ipse de hymni II tempore, quo Susemihl nititur, plane aliter atque ille iudicat.

[2]) Quod Cessi conicit (l. l. p. 408): 'rappresenta una delle ultime fasi della lotta', id nulla re demonstratur.

[3]) Cf. Susemihl, *Al. Litt.*, *Cap.* V, 34.

[4]) Ex Arg. I 735-41 (ut Gercke l. l. p. 141 sq. vult) hoc colligi non potest.

docti existimant. Inter quos Knaack coniecturam Wilamowitzii amplexus Theocritum carmine XIII Apollonii narrationem eiusdem rei (Arg. I 1207 — 73) tacite correxisse demonstrare studuit (*Herm.* XXIII p. 139 sqq.). Hanc sententiam impugnavit Tuerk, *De Hyla, Bresl. phil. Abh.* VII, qui haec statuit: 'fieri sane potuit, ut Theocritus, si Hylam in Argonauticis invenerat commemoratum, ea re induceretur, ut ipse quoque suo more carmen de Hyla scriberet, sed plane nescimus, utrum illud composuerit, antequam Apollonii Argonautica edita essent, an postea' (p. 30). Ac bene quidem redarguit Tuerk Knaackii argumenta, sed nova attulit Knaack in dissertationis Tuerkianae recensione (*Gött. gel. Anz.* 1896 p. 883 sqq.). Haec igitur examinanda sunt, praesertim cum nemo adhuc, quantum scio, Knaackii defensionem refellerit [1]). Cui vereor, ut quispiam astipuletur haec disceptanti (p. 884): 'Theokrit hat durch Mischung des dorischen Dialekts mit dem ionisch-epischen und durch seine skizzenhafte Darstellung selbst dafür gesorgt, dass seine Leser an ein episches Vorbild erinnert werden sollten.' Totius autem argumentationis Knaackianae cardo vertitur in c. XIII vs. 16, quo Theocritus ipsa verba illius exempli epici (Arg. I 4) attulerit. Mihi quidem hoc plane incertum videtur; nam Iasonem profectum esse ad vellus aureum adipiscendum paene necessario narratur in carmine ad Argonautarum expeditionem pertinente, neque adhibentur verba rara aut dicendi genus insolitum (cf. Herodot. VII 193: *ἐπὶ τὸ κῶας ἔπλεον*), unde colligi possit Theocritum ad Apollonium spectare. Neque fides augetur eo, quod Knaack addit: 'Dass dies keine zufällige Uebereinstimmung ist, zeigt der aus Apollonios II 211 (= 871) entlehnte Hexameterschluss.' Contra eodem iure concluserit quispiam vel propter hanc similitudinem non credibile esse Theocritum Arg. I 4 significasse; nam alterius loci (II 211) etiam similioris verba repetendo eam necessitudinem, quam voluisset

---

[1]) Legrand (l. l. p. 76) et Cessi (l. l. p. 407 n. 2), qui Tuerkio assentiuntur, eam ignorant.

intellegi, obscurasset. Ceterum neque, uter locus (Th. XIII 16 an Arg. II 211) prior sit, neque, consultone alter poeta alterius verba repetiverit, cognosci potest. Quodsi fundamentum tam incertum est, cetera quoque, quae Knaack protulit, corruunt. Neque enim ex eo, quod Theocritus de nonnullis rebus pulchrius quam Apollonius egit, efficitur, ut eum hunc corrigere voluisse existimemus. Differentiae autem nonnullae explicantur diversis formis fabulae usurpatis, aliae rursus studio poetae epici quam plurima congerendi (cf. Tuerk p. 26); quo studio Apollonius etiam post Theocriti carmen commoveri potuit, ut describeret, quomodo Argonautae a Mysis excepti essent, et Polyphemum Herculemque deinceps Hylam persequentes faceret. A Theocrito Telamonem pro Polyphemo Apolloniano additum esse quis potest affirmare? Ut alter poeta alterius carmine adductus comparationem ad leonem pertinentem (Arg. vs. 1243—49, Th. vs. 61—65) introduxerit: consilium infestum non reperio. Neque puto hac in re Theocritum melius Apollonio rem gessisse: ab Apollonio Polyphemus aptissime comparatur cum bestia praedam frustra investigante, a Theocrito cum leone festinante *ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα*. Qui contrarium atque Knaack demonstrare velit, eodem iure sic argumentetur: Apollonius adumbratam a Theocrito comparationem explicavit atque correxit et eo, quod duas deinceps comparationes protulit, Theocritum superare studuit. Miro denique argumento Knaack usus est, ut exponeret, cur Theocritus de Hylae parentibus patriaque nihil narravisset: 'Abstammung und Heimat standen im Epos zu lesen, das brauchte also der Dichter nicht zu widerholen'. Immo, Theocritus haec omisit, cum ea afferri ad narrationem nihil intersit. Nullo igitur argumento Knaack id, quod sibi proposuerat, demonstravit neque Tuerkium refutavit, quamvis confidenter de eo iudicaverit: 'Es scheint unnötig, gegen die schwachen Positionen des Gegners einzeln Sturm zu laufen'.

Contra Legrand (l. l. p. 76) Apollonium e Theocrito pendere opinatus est. Sed nititur locis, e quibus, etiamsi aliquam necessitudinem inter eos esse concedas, tamen uter poeta alterum antecesserit, non appareat.

Diiudicari posset ordo carminum, si eis, quae Helm *(Herm.* XXIX p. 161 sqq.) disputavit, fidem habere liceret [1]. Sed cum tempora earum rerum, e quibus certiora colligi queant, nondum satis explorata sint, ordo carminum adhuc ignoratur.

Carmine XXII Theocritum similiter atque c. XIII narrationem Apollonianam correxisse Knaack contendit *(P.-W. R.* II 127), non demonstravit; namque argumenta afferre supersedit.

Etiam in carminibus XXIV et XXV Theocritum ad Argonautica spectare Gercke affirmat *(mus. Rh.* 44 p. 143): 'Zug um Zug kann man an ihnen', inquit, 'fast die pädagogisch zu nennende Eigenart des Dichters spüren'. Sensit Gercke hanc proprietatem, non ostendit. Quod enim attinet ad c. XXIV, in tabula similium locorum, quam concinnavit haud ita anxie, nihil repperi, nisi quod et Arg. I 1035 et Th. XXIV 69 sq. (v. Gercke p 139) sententia apud Graecos tritissima exprimitur. Proprietas illa, quam Gercke perspicere sibi visus est, si tali argumento probaretur, in quovis carmine agnoscenda esset. Neque maioris ponderis sunt ea quae idem de c. XXV [2]) protulit (l. l. p. 142: de vs. 181—88, 195—200).

Videmus igitur in nullo epylliorum, quae ad discidium pertinere putantur, vestigia inimicitiarum comparere. Neque est, quare illa epyllia hac de causa scripta esse censeamus. E simili quidem consilio atque ratione discidium et epyllia enata sunt: ad epyllia enim conscribenda poetae se verterunt, quia heroica carmina esse intempestiva cognoverant, discidii prima causa fuisse videtur intempestivum carmen Apollonii [3]). Sed illam necessitudinem, quam inter discidium et epyllia esse viri docti ducunt, re vera esse nemo adhuc demonstravit.

---

[1]) Cf. ea, quae Legrand (l l. p. 49 sqq.) contra dixit.

[2]) Ne ordo quidem huius carminis et Argonauticorum constat; nam Brinkeri *(de Theocriti vita carminibusque subditiciis,* p. 66) argumenta levia mihi videntur.

[3]) Cf. Call. hymn. II 106, 108—112 et p. 9 sq.

Caput II.

De singulis epylliis.

Ex eis, quae modo disserui, nihil obstare apparet, quominus aetate Alexandrina epyllia non solum ante discidium, sed etiam ante tempora Callimachi et Theocriti composita esse arbitremur. Et profecto iam Philetas hoc in genere versatus esse videtur [1]). Neque demonstrari potest Callimachum aequalibus *Hecala* quasi viam ostendisse. Omnino ordo epylliorum, quae quidem a poetis aequalibus scripta sint, incertus est. Itaque non temporis ordine servato, sed aliis rationibus ductus epyllia dinumerabo.

I. De eis epylliis, quae exstant.

1) De Theocriti carmine XXIV.

Carmen XXIV Theocriti esse etsi e codicibus colligi nequit, tamen scholiis Pind. Nem. I 55 et Apoll. Arg. I 1077 [2]) satis comprobatur; neque abhorret carmen ab ingenio Theocriteo (cf. Brinker l. l. p. 61—63). — De condicione carminis diversae sententiae prolatae sunt. Ego quid de ea cogitem, ita explicabo, ut sententiam Rannowii, qui nuper uberius de hoc carmine disputavit [3]), examinem. Putat autem Rannow Theocritum tres carminis partes diversis temporibus scripsisse 'eo consilio, ut posthac etiam alia assereret.

---

[1]) De hac re infra (p. 29.)

[2]) Locos, ubi Theocritus laudatur, collegit Fritzsche, ed. II[2] p. 150.

[3]) *Festschrift für Joh. Vahlen*, 1900, p. 89—98.

Cum autem ... incepti carminis studium paulatim fortasse frigesceret, opusculum imperfectum neque perpolitum in scriniis reposuisse' (p. 98). Ac primum quidem Rannowio in carminis prima parte (vs. 1—63) 'multa nimis abscise depicta' esse videntur. Sed licentiam illam post vs. 10 adhibitam (R. p. 89) haud insolitam fuisse infra ostendam, neque est, cur in vs. 22 et 34 (R. p 89) offendatur [1]). Paulo duriores vs. 60 sqq. videri possunt, sed sub fine narrationis scriptores epylliorum, ut infra exponam, interdum festinantius progrediuntur. Ante vs. 35 et 50 nihil perisse Rannow recte monuit et eos, qui ante vs. 50 nonnulla excidisse suspicati sunt, refutavit (p. 92 sq.). Sed miror ei hanc narrationis vivacitatem displicere; nam aptissime atque pulcherrime poeta utroque loco rem gessit. Etiam maior est licentia in c. XXII 54 sqq., ubi mediam in narrationem dialogus insertus est verbis dicendi omissis et similiter ac XXIV 51 conclusus verbis: ἦ ῥ' Ἄμυκος κτλ. (vs. 75). Quam libenter Theocritus superflua verba dicendi vitet, item e XXIV 68 discimus, ubi subito ab obliqua oratione ad rectam transit (R. p. 94). Similem Arati locum (vs. 121 sq.) Rannow ipse affert; neque mihi videtur multum interesse, utrum hic transitus medio in versu an in altero versu ineunte fiat. Nullius porro ponderis sunt discrepantiae, quas Rannow inter vs. 13 sqq. atque 84 et inter vs. 16 ac 85, 92 intercedere ait (p. 92); nam vs. 73—100 loquitur Tiresias vates, non poeta [2]). Neque quod

---

[1]) Cur Iuppiter (vs. 22) domum luce impleat, unusquisque mox perspiciat. Scite autem Theocritus causam omisit; nam eius interfuit res, quas videremus, ante oculos ponere, non Iovis (quem brevissime memorat) consilium explicare. Vs. 34 Alcmene, quia aliquem clamorem audit, expergiscitur; legentibus autem statim perspicuum est, quis clamaverit.

[2]) Aptissime vates generaliter de deis (vs. 84), non de Iunone sola loquitur. Praeterea vs. 16 maxime suspectus est (cf. Hiller in edit. Fritszch.[3] ad vs. 16) neque sanatur Vahleni interpretatione: 'serpentes incitavit adversus eos, cum recusarent, minis usa'; neque enim puto minis opus esse, ut serpentes ad praedam impellantur. Neque repugnant inter se vs. 15 et 92; nam re vera serpentes, postquam iussi sunt, voluerunt infantem necare.

Alcmenam Tiresiae nihil respondentem facit (vs. 101; v. R. p. 95). Theocritus recedit a more, sed potius sequitur eum, id quod infra ostendam. Ac ne id quidem dolendum est, quod poeta (vs. 103) nihil de mandatis Tiresiae effectis rettulit; nam rem iam accurate descriptam (vs. 88—100) retractare molestum videbatur neque opus erat breviter referre Alcmenam vati oboedivisse, quoniam hoc etiam tacente poeta intellegitur. Denique non magni momenti est, quod ter bina vocabula brevi spatio interiecto repetuntur (R. p. 97). Ergo causa non est, cur hoc carmen a poeta non perfectum esse statuamus. Aliae difficultates, velut vs. 69 sqq., neglegentiae librariorum tribuendae sunt; eodem modo mutila carminis conclusio, si modo mutila est, explicari potest. — Restat, ut de initio et de fine carminis loquar. Non est, quam ob rem ante vs. 1 quidquam excidisse putemus; quodsi carmen incipit a puero decem mensium, opinio eorum, qui carmen partem cuiusdam *Heracleae* esse censuerunt, corruit (cf. Rannow p. 97 sq.). De fine autem carminis e codicibus nihil colligi potest (cf. R. p. 97). Ergo, nisi quid grave obstat, non habemus, cur exitum carminis mutilum esse arbitremur. At non satis digna multis conclusio videtur. Concedo eam haud ita pulchram esse, sed vereor inde quidquam efficere, praesertim cum neque carminis XIII conclusio gravitate excellat (vs. 73—75) neque totum carmen XXIV (cf. praecipue vs. 35 sqq. et sub fine carminis vs. 138). Vs. 134 sqq., qui artissime cum Herculis educatione cohaereant, tertiae parti (vs. 103 sqq.), non toti carmini adiuncti sunt; sed apte simul his verbis ad sobriam ac modicam disciplinam vivendi pertinentibus totum carmen concluditur [1]. Praeterea conclusione, qua argumentum totius carminis breviter comprehendatur, alia quoque carmina, ut Homerica et complura Theocritea, carent. Ex ὧδε autem particula (vs. 134) nihil efficitur (cf. R. p. 97), et ea, quae Legrand (l. l. p. 411 n. 4) de convenientia nonnullorum locorum carminis

---

[1]) Non credo futurum fuisse, ut tam multi ultimis carminis verbis offenderentur, si Th. suris omissis eandem sententiam brevius absolvisset.

exeuntis et ineuntis exposuit, nimis quaesita sunt; sed gravissimum est illud: 'un développement assez considérable eût-il suivi primitivement le vers 140, le défaut d' unité subsisterait toujours'. Quin etiam multo molestior esset compositio carminis, si post longam enumerationem, quae inest in tertia parte, poeta narrare perrexisset. Ergo eis argumentis, quae prolata sunt, demonstrari carmen clausula carere nego. — Ambigi igitur nequit, quin c. XXIV epyllium sit. Christ [1]) quidem et hoc carmen et Moschi c IV ἡρωίναις (cf. Suidas s. v. Θεόκριτος) assignat (p. 393, 394 sq.), ἡρωίνας esse poemata hymnis similia ratus (cf. p. 394, ubi carmina utriusque generis nominat *Preisgedichte*). Sed in neutro carmine ulla re indoles hymni indicatur [2]).

2) De Theocriti carmine XXV.

De auctore [3]) huius carminis codices nihil produnt; nomen enim Theocriti nullus codex exhibet praeter M et codd. inde descriptos, quorum auctoritas nulla est (cf. Prinz l. l. p. 71). Neque ea, quae Brinker (l. l. p. 64—69) et Prinz (l. l. p. 94 sqq.) attulerunt, ut Theocritum auctorem esse ostenderent, tam certa sunt, ut eis innitamur. Sed etiam eorum argumenta, qui contrarium demonstrare studuerunt, levia mihi videntur. Neque enim ex eo, quod carmen in cod. Pat. ultimo loco positum est (v. Ahrens, *Philol.* XXXIII p. 416 et 594), quidquam colligi potest nisi forte opinio eius, qui codicem confecit. Neque intellego, quomodo ex eo, quod Apollonius nonnullos similes locos exhibet, appareat Theocritum auctorem non esse [4]). Christii quoque argumentatio

---

[1]) *Sitz.-Ber. d. phil.-hist. Kl. d. bayer. Ak.* 1903, fasc. III, p. 381 sqq.

[2]) Carmen XXIV adhuc ad Herculem spectare putatum est, a Christio ad Alcmenam refertur. Quae sententia etiamsi vera esset, tamen vel ex eo, quod plurimi aliter senserunt, appareret carmen ab hymno longe abesse; nam id utique flagitatur, ut ex hymno clare perspiciatur, quis celebretur.

[3]) Sententias virorum doctorum contulit Prinz, *Quaest. de Theocriti c. XXV et Moschi c. IV* (*Diss. phil. Vind.* V) p. 68 sq.

[4]) Hoc volunt Knaack (*P.-W.R.* II 129 et Susemihl (*Jb. f. Ph.* 153 p. 383 n. 1).

(*Sitz.-B. d. bayer. Ak.* 1903, p. 410, cf. p. 392) caret solido fundamento. Hillerum autem, qui Theocriti c. XXV et Moschi c. IV unius incerti auctoris esse statuit (*Beitr. z. Textgesch. d. griech. Bukol* p 60 sqq.), Prinz (p. 73—93) satis redarguit. Quae cum ita sint, carmen Theocriti esse neque affirmari neque negari potest [1]).

Controversia est de condicione carminis. Opinatio eorum, qui carmen partem *Heracleae* esse censuerunt, satis iam a G. Hermanno (*Op.* VIII p. 315 sqq.) reiecta est. Neque id statuere licet carmen non esse unum, sed tria carmina; nam singulae partes (vs 1—84, 85—152, 153—281) alia aliam respiciunt [2]). Proficiscar in huius quoque carminis condicione excutienda a sententia Rannowii (l l. p. 98—103). Is evidenter ostendit (p. 100 sqq.) inter singulas partes nihil perisse. Recte enim pervidit poetam aliter ac fecit narraturum fuisse, si ea, quae desiderantur a viris doctis, adiecisset; et addit: 'casus prorsus mirus agnoscendus esset, si, quamquam in singulis carminis partibus nulla lacuna invenitur, ei ipsi versus excidissent, qui illis inter se connectendis inservirent' (p. 102). Nec tamen assentior eis, quae Rannow de carminis initio disseruit (p. 98 sqq.). Neque enim a poeta efflagitandum est, ut illum senem accurate ad ea respondentem faciat, quae Hercules interrogavit. Potius mihi quidem senex gregibus innumerabilibus agrisque fertilibus valde laetatus Herculi multo plura, quam ille quaesivit, videtur narrare. Ergo nihil, siquidem carmen a verbis *τὸν δ'ὁ γέρων προσέειπε κτλ.* initium cepisse incredibile est [3]), obstat, ne antea versus nescio quot perisse putentur. Similiter finis carminis, si eum deesse statuendum sit, excidisse potest. Sed haec duo ut omittam, integrum esse carmen Rannow

---

[1]) Brevitatis tamen causa utar Theocriti nomine, ut carmen significem.

[2]) Cf. Genther, *Über Theokrit XXV und Moschos IV*, *Progr. Luckau* 1891, p. 2; et Prinz l. l. p. 75 sq.

[3]) Sunt qui hoc initium defendant, ut Couat, *La poésie alex.* p. 404, Prinz l. l. p. 77, alii. Sed tale initium etiam in nostrae aetatis carminibus durum videatur, nedum in antiquo carmine.

demonstravit. Qui inde conclusit hoc (p. 103): 'poeta igitur cum aliquam fortasse Augeidem condere in animo haberet, primo nonnullas partes composuit, prouti cuiusque suavitate invitabatur, totius carminis perfectionem alii tempori commissurus'. At miror Rannowium Theocrito tantam temeritatem iniungere. Neque enim arbitror 281 versuum carmen poetam ita scribere, ut, si quando partes diligenter elaboratas (cf. R. p. 102) in unum corpus plenum et absolutum redigere voluerit, haud pauca in eis, quae singulatim confecerat, mutare coactus sit (cf. R. p. 103). Quae difficultates poetam fugere non potuerunt. Censeo igitur carmen perfectum esse, nisi quod initium periit [1]). Neque incredibile puto poetam versu 281 carmen terminasse. Fabulam enim sibi elegit, qua vitae rusticae describendae ei data erat occasio, ipsam rem apud Augiam gestam narrare eius non interfuit. Hanc utpote minime aptam, quae exponatur, leviter significare satis habuit (vs. 114), et pro ea aliam fabulam studiis aequalium magis accommodatam posuit. Iam partes I et II ad Herculis cum leone Nemeaeo pugnam tendere [2]) docuit G. Hermann (*Op.* VIII p. 317). Atque uti poeta inter singulas partes ea, quae tractare ei non placuit, audacter ac prompte omisit, ita eum in carmine exeunte similiter egisse probabile est. Quo modo quamquam unitatem carminis perdidit, tamen haec audacia, qua narrationis tenore interrupto nostrae aetatis rationem antecepit, magno poeta indigna mihi non videtur.

De t e m p o r e carminis nihil certi constat [3]).

---

[1]) Versus amissi quae continuerint, incertum est. Hoc Rannow recte statuere mihi videtur: 'Herculem non saepius sed semel ante vs. 1 interrogantem fingendum esse ipsa poetae verba docent'. Sed quae singula Hercules quaesiverit et quae praeterea poeta tractaverit, disceptare non licet. Neque tamen verisimile mihi videtur regionem descriptam fuisse (cf. R. p. 98), quippe quae senis verbis satis describatur.

[2]) Neque autem id egit poeta, ut partes primam et alteram parti tertiae subiceret.

[3]) Quo iure Brinker l. l. p. 65 iudicet carmen sine dubio a Theocrito sene scriptum esse, plane me fugit. Potius epyllion, si a Theocrito compositum est, iuvenis esse cum Fritzschio (ed. II [2] p. 166 existima-

3) De Pseudo-Moschi carmine IV.

Hoc carmen a poeta incerto aetatis Alexandrinae scriptum esse videtur (cf. Prinz l. l. p. 103 sq.). Inest in epyllio quoddam obscuritatis studium (v. l. l. p. 104 sq.), unde Prinz (p. 105, cf. 73 sq.) recte conclusit 'initium carminis de industria ita esse compositum, ut legentes primis versibus cogerentur conicere, quis ad quem loqueretur, aperte autem de ea re sequentibus demum versibus edocerentur'. Ergo non est, quod de carminis integritate dubitaveris, etsi poeta nulla re praemissa statim Megarae verba perhibet (vs. 1).

4) De Theocriti carmine XI.

Hoc quoque carmen epylliis ascripserim. A bucolicis enim carminibus, in quo numero haberi solet, carmen eo distat, quod in illis tractatur vita pastorum non mytho traditorum sed poetis quasi aequalium, hic de certa persona temporis heroici refertur. Quod discrimen clare perspicitur comparatis inter se Theocriti c. VI et XI: illic duo pastores quasi parvam fabulam agunt, qua Polyphemus, cuius personam alter ex eis gerit, ludibrio habetur: hic narratur priscus Polyphemi erga Galateam amor. Neque ideo carmen XI epyllion nominare prohibemur, quod et multae res bucolicae insunt (cf. c. XXV) et totus cantus exhibetur (cf. Catulli c. 64, 323—381) et Polyphemi verba ambitum narrationis poetae longe superant (cf. Moschi c. IV). — A iuvene Theocrito carmen compositum esse verisimillimum est (cf Holland, *De Polyphemo et Galatea, Leipz. Studien* VII p. 231 sq., et Helm, *Herm.* XXIX p. 161 sq.), sed accuratius tempus definiri nequit; neque pro certo habeo carmen in Sicilia ortum esse (cf. Legrand l. l. p. 50).

5) De Theocriti c. XIII

iam disserui p. 19—21.

---

verim. Neque enim verisimile mihi videtur poetam, postquam proprium sibi creavit scribendi modum, subito linguam et rem metricam Homeri ita imitari, ut poeta huius carminis fecit.

6) In Moschi c. II.

difficultates, quae nunc disceptandae sint, non insunt.

Dubitaverit quispiam, an non Theocriti carmina XXII et XXVI epylliis adnumeranda sint. Sed etsi huic poesis generi simillima sunt, tamen aptius in numero hymnorum haberi mihi videntur: c. XXII propter prooemium, XXVI propter vs. 33 sqq. Neque Th. c. XVIII, quamquam de hominibus aetatis heroicae est, recipio, quia in eo epithalamium (vs. 9-58) ita praevalet, ut huic generi totum carmen assignandum sit.

II. De carminibus non servatis, quae in numero epylliorum fuisse aut constat aut verisimile est.

1) De Philetae *Mercurio.*

Hoc carmen continuit illam de Ulixe et Polymela fabulam, quam perhibet Parthenius *περὶ παθημάτων* cap. II [1]). In hanc fabulam fragmenta [2]), quae exstant, facile inseri possunt, si modo Ulixem de erroribus suis narrasse statuas. Quod cum talis narratio carmini eximie conveniat, totius Philetae carminis argumentum a Parthenio cap. II redditum esse verisimile est [3]). Cur illud carmen *Ἑρμῆς* inscriptum sit, certo diiudicari non potest. Fortasse recte Maass (*Orpheus* p. 279 not.) conicit: 'Dem Titel zufolge wird Hermes als Beschirmer des Helden aufgefasst worden sein.' Quod

---

[1]) Masselli sententiam tertii quoque capitis fabulam a Parthenio e Philetae *Mercurio* desumptam esse rati Kuiper, *Album gratulatorium in hon. Henr. van Herwerden*, 1902, p. 145 sq. reiecit.

[2]) Fragmenta collegerunt Bach, *Philetae Hermesianactis atque Phanoclis reliquiae*, 1829, p. 29 sqq.; Meineke, *Anal. Alex.* p. 348 sqq., qui fr. 3 iure exclusit.

[3]) Cf. Kuiper l. l. p. 145. — Tam pauca quidem sunt fragmenta, ut hoc pro certo affirmari nequeat; potest sane haec fabula maioris carminis fuisse (cf. similes titulos *fasciculorum fabularum*, velut *Apollinem*); sed probabilius mihi videtur *Mercurium* epyllion fuisse.

Kuiper praeterea opinatur (p. 147) Philetam 'de consanguinitate, quae esset inter Ulixem deumque Mercurium' cogitasse, incertissimum est.

2) De Callimachi *Hecala.*

In *Hecala* restituenda singulare studium posuit Naeke (*Callimachi Hecale* = *Op.* II p. 1 sqq.), quem Schneider (*Callimachea* II p. 171 sqq.) et Couat (*La poésie alexandrine*, p. 356 sqq.) paucis mutatis secuti sunt. Sed postquam in Suidae lexico atque in *Etymologico genuino* a Reitzensteino (*Ind. lect. Rost.* 1890/91 p. 13 sqq.) vestigia Sallustii in *Hecalam* commentarii reperta sunt et numerus fragmentorum novis versibus in tabula lignea inventis[1]) aliquanto auctus est, apparuit Callimachi carmina tam facile restitui non posse. Ne hoc quidem constat, quomodo verba cornicis (col. II - IV 8)[2]) cum cetero carminis argumento coniuncta fuerint. Posset res diiudicari, si Hecalam cornix adlocuta esse putanda esset, id quod Maass, *D. Litteraturz.* 1893, 1037 coniecit, sed cf. ea, quae Rannow, *W. f. kl. Ph.* 1896, 485 contra dixit. Praefero equidem Wilamowitzii sagacem coniecturam, qui opinatur in hac carminis parte rem agi apud volucres (l. l. p. 735 sq.). Dubius est etiam ordo quattuor columnarum: alteri (ut Zingerle, *Pap. Erzh. R.* VI p. 14—16) pristinum carminis ordinem non iam exstare, alteri[3]) servatum esse ducunt. Equidem inclino ad horum sententiam. De ambitu carminis nihil certi constat, quamquam videtur satis amplum fuisse[4]).

---

[1]) Editi sunt a Gomperzio aliisque, *Pap. Erzh. Rainer* VI p. 1 sqq.

[2]) Verba cornicis ad col. IV 8 pertinere perspexit Wilamowitz, *Nachr. d. Gött. G. d. W.* 1893 p. 733 sqq., qui omnino de *Hecala* carmine optime meritus est.

[3]) Hoc volunt paene omnes, qui editionem novorum fragmentorum in iudicium vocaverunt. Inter quos Wilamowitz (p. 737 sq.) ostendit, etiamsi col. I ceteras praecesserit, res secundum ordinem temporis narrari. Sed nuntium non abisse iniuria e col. I 10 conludit (p. 737), cf. Weinberger, *Kall. St.* p. 13, et Rannow, *W. f. kl. Ph.* 1896, 483.

[4]) Nec vero unius libri modum excessit; nam quamvis saepe carmen laudetur, nusquam certus liber nominatur.

3) De Callimachi *Galatea*[1]).

Ex hoc epyllio nihil reliquum est nisi duo hexametri (apud Athen. VII 284 c). Quod Holland dubitanter coniecit (l. l. p. 272) Callimachum 'obscuram de Acide fabulam poetica arte quasi evulgasse', id certis argumentis firmari non potest; neque certiora de illis fragmentis cognosci possunt, quae idem v. d. fortasse carmini attribuenda esse suspicatus est.

4) De eadem fabula Nicias respondens carmini XI Theocriti amici epyllion scripsisse videtur[2]), cf. Holland l. l. p. 285 sqq. Qui vir doctus de epyllii argumento sagaciter, nescio an recte, coniecit Niciam primum alteram fabulae formam, quae est de Polyphemi amore prospero, in poetica studia introduxisse.

5) Eandem fabulam Bion epyllio tractavit, id quod e 4 versibus a Stobaeo, flor. 110, 17 (= fr. Bionis XII Ziegl.) laudatis efficitur. Quo de carmine cf. Holland l. l. p. 249-253, qui exposuit carmen Theocriteo simillimum fuisse: 'prodit in conspectum Polyphemus ... in scopulo litoris nymphae mollem cantilenam[3]) emittens' (p. 249). Praeterea Bion Acidis fabulam intexuisse videtur, ut Holland e Ps.-Moschi epit. Bion. vs. 59—64 conclusit (p. 270 sq.).

6) Alexandri Aetoli Ἁλιεύς memoratur a solo Athenaeo (VII 296 e), qui nonnullos hexametros ex hoc carmine, quod de Glauco Anthedonio erat, affert (cf. Meineke, *An. Al.* p. 238—40).

7) Eiusdem poetae *Circam*, *εἰ γνήσιον τὸ ποιημάτιον*, epyllion fuisse e duobus versibus herois ab Athenaeo (VII 283 a) prolatis (cf Mein l. l. p. 240 sq.) et e nomine *ποιημάτιον* elucet. Argumentum carminis ignotum est.

---

1) Cf. Schneider, *Call.* II p. 163—65, Holland, *Leipz. St.* VII p. 246—49, 272 sqq.

2) V. argumentum Theocr. XI; ibid. carminis initium (2 hex.) laudatur.

3) Hanc cantilenam Polyphemus Bionis perinde ac Theocriti videtur edidisse ad sublevandum amorem; verisimillimum enim est fr. XIV (Stob. ecl. phys. I p. 112 Wachsm.) ad hoc carmen pertinuisse (v. Holland p. 250 sq.).

8) De Euphorionis *Hyacintho*[1]).

Non dubito, quin *Hyacinthus* epyllion fuerit atque notam de Apolline et Hyacintho fabulam continuerit; altera autem φῆμις ad Aiacem spectans (fr. 36) nulla alia causa, nisi ut reiciatur [2]), afferri videtur.

9) Eandem fabulam Bionem

epyllio tractasse edocemur 4 hexametris apud Stob. (ecl. I. p. 75 W. = fr. XI Z.) servatis, qui sunt de Apolline Hyacinthum mortifero vulnere ictum sanare frustra conante.

10) De Parthenii *Hercule*[3]).

Diserte *Herculi* ascribuntur fr. 15—18 Mart. (XIX-XXII Mein.), praeterea fr. 28 (XXIII) et 31 (XXV) huc referenda esse videntur (cf. Mein. p. 276 et 278). Quorum fr. 17 et 18 ad fabulam Erigonae Icariique, fr. 28 et 31 ad Herculis iter Hispaniense pertinere verisimillimum est. Quomodo autem hae fabulae inter se coniunctae fuerint, nescimus, neque quidquam certi e Maassii de fr. 15 coniectura (*Herm.* XXIV p. 646 n. 4) cognoscimus (cf. Ehwald, *Burs. Jb.* 80, p. 33). Metrum haud dubie fuit heroum, cf. Martini l. l. p. 32. Et cum carmen epicum magnum Parthenii ingenio minus convenire videatur, epyllion fuisse conicio *Herculem*.

Adiungo nonnulla carmina, quorum metrum quidem pro explorato haberi nequit (sed cf. p. 7 n. 2), at quae certe parvis poematis narrativis adnumerare non dubito.

---

[1]) Fragmenta collegit Meineke l. l. p. 69—73. Ad haec atque ad titulum aptior quam opiniones Rohdii (*Gr. R.* p. 91 n. 1) G. Schultzii (*Euphorionea, diss. Argent.* 1888, p. 31) Susemihlii (*Al. Litt.* I p. 397) est sententia Plaehnii (*De Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio in Metamorphosibus conscribendis adhibitis, diss. Hal.* 1882, p. 18) et Skutschii (*Aus Vergils Frühzeit* p. 80), quam amplexus sum.

[2]) Potuit sane poeta in fabula altera reicienda paulum commorari (cf. Ps.-Verg. Cir. vs. 56 sqq.). Nihil igitur obstaret, ne Euph. fr. 38 et 90 in *Hyacintho* locum habuisse putaremus, si modo haec Meinekii coniectura certis argumentis probaretur.

[3]) Cf. Meineke l. l. p. 273 sqq.; Martini, *edit. Parth.* (*Myth. Graeci* II 1 *suppl.*) p. 19 sqq.

11) Nicaeneti *Lyrcus*,

qui titulus tantum indiculo fontium Parthenii narrationi I ascripto debetur, a Rohdio (*Gr. R.* p. 91) iure huic carminum minutorum generi assignari mihi videtur. Fragmenta desunt; neque enim opinatio Susemihlii (*Al. Litt.* I p. 381 adn. 36), qui decem hexametros a Parthenio XI 2 allatos ex hoc carmine depromptos esse vult, ulla re firmatur.

12) Nicandri *Hyacinthi*

mentio fit in scholio ad Theriac. vs. 585, cuius verba 'Νίκανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ' integro animo interpretati ad singulare carmen referemus, ac non cum Schneidero (*Nicandrea* p. 45) ad partem Ἑτεροιουμένων (cf. ea quae p. 36 n. 2 adnotavi), praesertim cum illud Schneideri (p. 44): 'obtinebimus singulas fabulas singulis plerumque carminibus, quae sine ullo artificioso vinculo Nicander composuerat, tractatas fuisse' solido fundamento careat (cf. Plaehn l. l. p. 18, Bethe, *Herm.* XXXIX p. 6 et 13).

13) De incerti auctoris *Paride et Oenona.*

Rohde (*Gr. R.* p. 110 not. 5) de fabula Oenonae a Quinto Smyrnaeo libro X (vs. 259 — fin. libri) inserta haec disputavit: 'Dass diese Erzählung nicht aus des Dichters eigener Erfindung, auch nicht aus seinen gewöhnlichen Quellen herrühre, beweist der starke Abstand dieser empfindungsvoll und lebendig vorgetragenen Erzählung von der sonstigen Dürre des Quintus. . . . Die Erzählung im Ganzen genommen, dürfte . . einer besonderen, jedenfalls aber alexandrinischen jenes tragischen Endes des Paris und der Oenone entlehnt sein. . . . Dass aber die ganze Partie aus einer speciellen Darstellung von Quintus ziemlich unbesonnen seinem Gedichte eingefügt sei, scheint die sonderbare Prophezeihung . . (343 ff) zu beweisen. Dort werden allerlei zukünftige Ereignisse vorausgesagt, die dann im Verlauf des Gedichtes des Quintus gar nicht eintreffen.' Contra Kehmptzow (*De Quinti Smyrnaei fontibus ac mythopoeia, diss. Kil.* 1891, p. 38 sqq) 'Quintum fontem mythographicum secutum exornasse narra-

tionem pulcherrimis illis descriptionibus, quas apud Apollonium Rhodium invenisset' contendit (p. 39, cf. Koechly, adn. ad Quint. Sm. X 440 et 454 sq.). Discrepantiam illam a Rohdio notatam nimis vili remedio idem ita sanare studet, ut longam lacunam statuat (l. l. p. 40) amplexus sententiam a Koechlyo prolatam, sed postea depositam. Dixerit quispiam Rohdium illa incongruentia nimis offendi; nam fieri sane potuisse, ut Quintus eam videret, sed illas res vaticinatione satis tractatas esse putaret. Neque tamen mihi persuadetur Quintum sua sponte hoc artificium invenisse, id quod Noack, *Gött. gel. Anz.* 1892 p. 784 sq. vult. Si res carmine posteriores praedicerentur, fortasse ei assentirer, sed cum de rebus agatur, quae in carmine ipso narrari potuerint, Noackii opinionem non probo. Contra parvis poematis hoc artificium aptissimum est; cf. Heinze, *Virgils epische Technik*, 1903, p. 388 (not. 1 exempla afferuntur): 'Der Kunstgriff war äusserst bequem für die hellenistische Technik des kleinen Gedichts: wo nur eine Episode eines Mythus erzählt wird, muss der Zuhörer doch erfahren, was die Folgen dieser Episode sein werden: dazu dient eben die Voraussage, Vision oder Prophezeihung'. Et hanc ob causam carmen a Quinto adhibitum fuisse parvum valde probabile mihi videtur praeterea hoc reputanti Quintum, nisi aliud exemplum ac fontem mythographicum habuisset, vix hanc narrationis vivacitatem assecuturum fuisse (v. Rohdii primum argumentum). Noackii vero coniectura, qui statuit scholium largius quoddam ad Lycophronem pertinens fontem fuisse (p. 792 sq.), haud dubie perversa est; nam illa verba '*βουλομένη.. θεραπεῦσαι, ἐκωλύθη ἐκ τοῦ πατρός*' (schol. vs. 60), quibus Noack nititur, discrepant a narratione Quinti; is enim perspicue hac in re sequitur aliam fabulae formam: Oenone non a patre iussa, sed *μνησικακοῦσα* (cf. Apollod. III 155) Paridem reicit (vs. 308—27); cf. praeterea Parth. IV 6: *ἡ δὲ αὐθαδέστερον ἀπεκρίνατο, ὡς χρὴ παρ' Ἑλένην ἰέναι κἀκείνης δεῖσθαι*, cuius loci simillimi sunt versus Quinti 324 et 327: *εἰς Ἑλένην ἀφίκανε, . . . εἰς ὅ κέ σ' ἰήνειεν.* Nec puto Quintum vs. 435 et 438 ad illud scholium spectasse; nam Oenone non solum patrem, sed etiam *ἀμφιπό-*

λους metuit, et quod clam fugit affectu occultato, ad rem maxime quadrat. Alia discrepantia est haec, quod secundum scholium Oenone Paridem quaerit προσενεγκοῦσα τὰ φάρμακα apud Quintum διζομένη . . πυρῆς ἐπιβήμεναι (vs. 447). Restat, ut gravissimum argumentum, quod Kehmptzow Noackio probante contra Rohdium profert, examinem. 'Si poetam', inquit, 'easdem res tractantem, quas ipse, ante oculos habere poterat, . . certe non opus erat Quinto salutem ab Apollonio Rhodio petere. Hunc vero cum aperte sequatur, probabile mihi fit eum nullum alium poeticum fontem inspexisse' (p. 39). Salutem certe Quintus non ab Apollonio petivit; nam ambo in eo tantum concinunt, quod mulier noctu ad amatum virum properans conspicitur a Luna, cui Endymionis in mentem venit; misericordiam Lunae optime excogitatam Quintus apud Apollonium haudquaquam inveniebat Dubitaverit quispiam, an non Quintus huic de Paride Oenonaque narrationi quaedam ex Apollonio hausta immiscuerit; nam properans puella fabulae ipsius esse videtur, cf. Parth. IV 6: ἠπείγετο, Conon 23: ἐπειγομένη. Cetera Alexandrinis poetis haud insolita fuisse videntur, cf. Ovid. her. XVII 59 sqq., ubi Leander ad amatam puellam profecturus, ut misericordiam impetret, Lunam de Endymione admonet (cf. epigr. Philodemi, anth. Pal. V 123); et quod poeta Lunam hominis miserentem fingit, haud longe abest ab illo studio, quo adducti naturam misericordia hominum commotam faciunt (cf. Rohde l. l. p. 159 not. 1). Quam ob rem, si necessitudo inter ambas narrationes statuenda est, malo putare eam inter Apollonium et carminis incertum auctorem Alexandrinum intercedere. Sed etiamsi Quintus ipse hoc loco Apollonium adhibuit, estne hoc tam inauditum, praesertim si aliis locis eundem secutus est (Kehmptzow p. 31 sqq.)? Quasi vero poetis non liceat complurium carminum locos imitari. Utcunque res se habet, Rohdii sententia a Kehmptzowio non est labefactata. — Quatenus Quintus exemplum incerti auctoris secutus sit, definiri non potest. Neque scimus, utrum narratio carminis Alexandrini inde initium ceperit, unde Quinti, an in illo res ante Paridis iter narratae fuerint, quas Quintus sui carminis ordine coactus omisit. Universam certe poematis compositionem Quintum mutuatum esse propter illam vaticinationem intextam existimo.

III. De eis carminibus, quae fuerintne epyllia dubium est.

Inter titulos carminum, quae ab antiquis scriptoribus laudantur, multi ad certum poesis genus referri nequeunt. Complures eorum viri docti epylliorum esse duxerunt, fortasse recte; sed quia hi tituli eodem iure aliis generibus tribui possunt, nolim eos in numerum epylliorum recipere.

In tabula Suidana operum Callimachi exstat titulus *Γλαῦκος*, fragmenta non habemus[1]). Quae Bergk (*Anth. lyr.*[2] p. XIII) de ratione inter *Glaucum* et Ov. met. intercedente coniecit, fundamento carent (v. Rohde l. l. p. 124 in fine not. 2). Neque probabilis est opinio Birtii (*Elpides*, 1881, p. 82 sqq.), qui titulum *Γλαῦκος ἢ ἐλπίδας* finxit, ut antea *Διὸς ἄφιξις ἢ Σεμέλη* insuper verbo *Ἰοῦς* in *Διός* mutato. Hoc quidem dubium mihi non videtur, quin *Glaucus* poesis narrativae fuerit, quia in tabula *δράματα* et *μέλη* praecedit. Et elegiam fuisse *Glaucum* coniecerit quispiam ex ordine 6 titulorum, qui apud Suidam initio tabulae exstant: 1) *Ἰοῦς ἄφιξις*, 2) *Σεμέλη*, 3) *Ἄργους οἰκισμοί*, 4) *Ἀρκαδία*, 5) *Γλαῦκος*, 6) *Ἐλπίδες*. Wachsmuth enim cognovit 'in prisci catalogi fronte positum fuisse titulum *Αἴτια*, quorum singulae partes singulariter erant enumeratae'[2]) (*Jb. f. Phil. Suppl.* 11 p. 465), et 'singulorum generum tituli ex litterarum ordine secuti esse videntur' (Daub ibidem). Cogitari igitur potest exstare apud Suidam hunc ordinem elegiarum: tit. 1—3: *Α*(*ἴτια*), 4: *Ἀ*[3]), 5: *Γ*, 6: *Ἐ*. Sed quia hic ordo litterarum fortuitus esse potest, praesertim cum e magno titulorum numero per-

---

1) Fragmenta, quae Schneider (*Call.* II p. 166) fortasse huius carminis esse putat, plane incerta sunt.

2) Quot tituli ex eis, qui afferuntur, *Aetiorum* fuerint, dubium est; at certe tit. 1—3 huc referendos esse Wachsmuth me monuit. — Videlicet quicunque fragmenta *Aetiorum* afferunt, ubi sedem accuratius significant, non hos singulares titulos utpote haud satis perspicuos, sed totum carmen (cf. Call. fr. 1—10) vel certum carminis librum (cf. fr. 11—33b) commemorant. Quod dico propter Schneideri de *Hyacintho* Nicandreo sententiam (cf. p. 33 diss.).

3) Idem efficitur, si quartus titulus pro parte *Aetiorum* habetur.

pauci restent, neque scimus, quot tituli ex eis, qui a Suida enumerantur, ad *Aetia* pertinuerint, eodem iure *Glaucum* epyllion aut partem *Aetiorum* fuisse licet suspicari.

Ceteros titulos breviter commemorabo.

In numero epylliorum aut *fasciculorum fabularum* (cf p. 6) fuisse videntur complura Euphorionis carmina (Croiset, *Hist. de la litt. gr.* V p. 244), ut *Διόνυσος, Ἱππομέδων, Ἀρτεμίδωρος Δημοσθένης.* — Carmina plane ignota sunt Philetae *Telephus* (Rohde p. 74 n. 3; Sus. l. l. I p 177 n. 19), Simiae *Gorgo* (Rohde p. 81 n. 1; Sus. l. l. I p. 179 sq.), Homeri Byz. *Eurypyleia* (Gercke, *mus. Rh.* 44 p. 133, Sus. l. l. I p 272 n. 17), Hedyli carmen de Glauco conscriptum, (Sus. l. l. II p. 533).

Dein viri docti e quibusdam indiciis aliorum poetarum epyllia eruere conati sunt. — Ad duo carmina Alexandri Aetoli, quorum alterum de Comata, alterum de Daphnide ac Xenea fuerit, Theocritus VII 72—77 et 78 sq. spectare a nonnullis putatur (cf. Sus. l. l. I p. 190 cum not. 90). Sed haec carmina plane dubia sunt, praesertim cum nequaquam constet Tityrum esse Alexandrum Aetolum. — Bionem carmen *Orpheum* scripsisse Knaack (*P.-Wiss. R.* III 481) et Skutsch (*Aus Vergils Frühzeit*, p. 59 sq.) e Ps.-Moschi epitaphio Bionis (praecipue e vs. 14 sqq.) collegerunt; mihi quidem non persuaserunt. Facile enim omnia e carmine ipso enascuntur: facile Bion, Doricus poeta, ab alio, qui eum prolixius celebrare in animo habebat, *Δώριος Ὀρφεύς* nominari potuit. Quo Orpheo cum Thracio confuso Ps.-Moschus res ad Thraciam pertinentes introduxit. Mirum etiam esset, si poeta in magno numero eorum, qui Orpheum Apollini carissimum deflent, cycnos Apollinis sacros, cantus peritos, omisisset. Quodsi omnia poeta ipse tam facile invenire potuit, non est, cur carmen Bionis sequi putetur.

Alia carmina Alexandrina viri docti e carminibus posteriorum temporum restituere studuerunt. Sed etiamsi certa vestigia collegerunt, id quod raro eis obtigit, tamen epylliisne illae fabulae fuerint tractatae, dubium est. Inter

eos Maass Philetae *Aristaeum* [1]) et *Omphalen* [2]), incerti auctoris epyllion de *Lycaonidis* [3]), Immerwahr *Atalantam* [4]), Knaack *Phaethontem* [5]) eruere conati sunt.

Quibus absolutis exoritur quaestio, utrum Catulli c. 64 ex epyllio Alexandrino haustum sit, necne. Callimachi esse epyllion in Latinum translatum Riese (*mus. Rh.* XXI p. 498 sqq.) demonstrare enisus est, sed ipse postea (in edit. Cat.) hanc sententiam abiecit [6]). — Maass (*Herm.* XXIV p. 527—29) e quadam inter Cat. 64, 158 sqq. et Nonn. 47, 390 sqq. similitudine hoc conclusit (p. 528): 'Daraus folgt mit Nothwendigkeit, dass Nonnos und Catull auf eine gemeinsame poetische Vorlage gleichen Inhalts, sehr wahrscheinlich aus der alexandrinischen Epoche, zurückweisen.' At dubito, an huic ratiocinationi fides non sit adiungenda; sententia utroque loco edita poetis Alexandrinis sane quam placuisse et saepe repetita esse videtur [7]); cf. *querimoniae puellae*, quae vocatur, col. 17 (Grenfell, *Greek papyri*, 1896, p. 2): *εὐδοκῶ ζήλῳ δουλεύειν;* Euripidis, Alexandrinorum magistri, Andromedae fr. 133 N.; Ovid. her. III 69—76; similiter queritur Scylla in

---

[1]) *Orpheus* 1895, p. 280 sqq.; v. p. 296: 'Vergils Gedicht hat uns in getreuem Umriss eine Dichtung des Philetas erhalten.' Cf. ea, quae Rohde, *N. Heidelb. Jb.* VI, 1895, p. 15 sq. (=*Kl. Schr.* II 310—12), Kroll, *B. ph. W.* 1895, 1383, Crusius, *Litt. Centralb.* 1896, 163, Skutsch, l. l. p. 165, obiecerunt.

[2]) *De tribus Philetae carminibus*, 1895, p. XI—XIV. Contra eum Reitzenstein, *Herm.* XXXI 198—201, Rannow, *W. f. kl. Ph.* 1896, 682, Stadtmueller, *B. ph. W.* 1897, 452 sqq.

[3]) *Ind. schol. Gryph.* 1894 V p. XV sq. Ut concedas Maassium epyllium Latinum ostendisse, tamen sine ullo iure ex eo, quod Theocritus I 125 sq. hanc fabulam memorat, conclusit Romanum poetam secutum esse epyllium Graecum saeculi III.

[4]) *De Atalanta*, 1885, p. 7 sq.; Robert, *Herm.* XXII 444—54, Maass, *Herm.* XXIV 323—27. Susem. l. l. I p. 178 n. 21. Oblocutus est Ehwald, *Burs. Jb.* 80 p. 37.

[5]) *Quaest. Phaethonteae (Kiessl.-Wil. Unters.* VIII) p. 22 sqq.; *Herm.* XXII 639 sq. Oblocuti sunt Wecklein, *B. ph. W.* 1886, 1049, Gruppe, *W. f. kl. Ph.* 1886, 648 sq.; cf. Sus. l. l. I p. 409 cum n. 195.

[6]) Cf. praecipue ea, quae Schulze, *Jb. f. Ph.* 125 p. 208 sqq., obiecit.

[7]) Semper memores simus, quam parvae reliquiae e permagno car-

Ciris vs. 444—47 [1]). Neque parvi momenti esse mihi videtur, quod apud Catullum Ariadne ne cogitat quidem de feliciore aemula, apud Nonnum opinata Theseum alterius mulieris causa profectum esse semper ὀλβίστην νύμφην in animo habet; in qua re et ipsa *Ciris* (vs. 445) congruit cum Nonno. Unde tamen non concludo auctorem *Ciris* et Nonnum eodem exemplo usos esse, sed tales sententias tritas fuisse. Etiam incertiores sunt ceteri loci [2]), quibus Maass nititur. Cat. vs. 139 sq. cum Nonn. 368 sq: nihil commune habet nisi anaphoram [3]) et querelam fidei fractae [4]) sed plane diversis verbis expressam. Denique ea verba, quae in Cat. 177 sqq. et Nonn. 377 sqq. congruunt (cf. Eur. Medeae vs. 502 sqq.), et ipsa ex affectu amantis mulieris, quae amati viri causa patriam, parentes, omnia deseruit, sua sponte effluunt; similitudines conspicuae in utroque loco praeter sententiam ipsam non exstant. Multo gravior quam similitudo paucorum horum versuum, quos concinere propter similem condicionem paene necesse est, differentia utriusque narrationis est, eaque tam gravis, ut etiam mirum esset, si duo poetae uno atque eodem exemplo usi ita inter se discreparent [5]). Maassio igitur non assentior. — Nuper Reitzenstein *(Herm.* XXXV p. 86-102)

---

minum numero adhuc exstent. Plane assentior Heinzio dicenti (*Virg. ep. T.* p. 129): 'Unzählig oft hatte griechische Dichtung das Leid der Verlassenen gesungen.'

[1]) Dixerit quispiam hunc locum e Catulli carmine desumptum esse; et profecto vestigia Catulliana in *Ciri* haud rara sunt. Sed auctor *Ciris* in hac sententia explicanda atque exsequenda adhibet quae in Catulli epyllio desunt, apud Nonnum leguntur (cf. Nonn. 392 sq., Cir. 445 sq.).

[2]) Hoc Maass ipse sentire videtur; nam eos primario suo argumento ita asserit: 'da die Wechselbeziehung in diesem einen Falle nunmehr sicher steht' (p. 529).

[3]) Anaphorae in talibus affectuum descriptionibus creberrimae sunt; cf. in querimoniis: Cat. LXIV 132/4, 143 sq., 186 sq., *Cir.* 411/4, 416 sq., 428 sq., 433/5, 443 sq., Nonn. XLVII 388 sq., 406 sq., Ovid. her. II 49—51.

[4]) Haec sententia querelae hac in condicione vix deesse potest.

[5]) Si quis nihilominus unum exemplum obtinet, aut ab alterutro poeta aut ab utroque tam libere id adhibitum esse oportet statuat, ut inde vix quidquam discamus.

censuit Catullum imitatum esse carmen Alexandrinum, in quo nuptiae Pelei cum fabula Ariadnae pariter atque in Catulli epyllio coniunctae fuissent [1]). Carmen igitur Alexandrinum, si Reitzenstein id, quod sibi proposuit, demonstravit, epyllion fuit; huac ob causam opus mihi erat uberius de Cat. c. 64 disserere. — Priusquam ad Reitzensteini sententiam excutiendam accedam, nonnulla de Romanorum *poetarum novorum* studiis praefari placet. Ut Alexandrini, ita Romani *poetae novi*, quorum summus fuit Catullus, volunt esse docti; certe operibus Alexandrinorum diligenter studuisse videntur. Interdum quidem satis habuerunt, aliquod carmen vertere (cf. Catulli c. 66), sed semper in hoc munere eos acquievisse incredibile mihi videtur perpendenti, quantum operae quantumque temporis in epylliis conficiendis consumptum sit; cf. Leo, *Herm.* XXXVII p. 29; 'Diese neoterische Dichtkunst ist unendlich mühsam. Nicht jedes solche Epyllion braucht neun Jahre zu verschlingen wie die Smyrna; aber keiner dieser Poeten (Catull, Calvus, Cinna, Cornificius) erscheint mit mehr als einem auf dem Plane; Cicero vielleicht mit zweien'; cf. praeterea *Ciris* vs. 46. Neque dubito, quin illi poetae permulta Alexandrinorum carmina noverint et inde ipsi quasi eodem modo sentire didicerint, neque insigniora quaedam priorum temporum carmina, ut Homeri, Hesiodi, Euripidis, ignoraverint. Et facillime, sive unum imprimis exemplum imitandum eis obversabatur, sive in animo erat narrationes in compluribus carminibus inventas in unum confundere, in animis eorum ea, quae modo legerant, cum aliis sententiis similibus scriptorum antea lectorum, tunc in memoriam redeuntibus et cum rebus, quas ipsi experti erant, ita concrescere poterant, ut quasi aliquid novi ederetur. Apparet igitur non tam facile, quam credi solet, exempla carminum erui posse. — Redeo ad Reitzensteini sententiam. Is ostendit (p. 86—88) Catulli descriptionem diei festi respondere mori Alexandrino. Unde

[1]) Quatenus carmen Alexandrinum a Catullo redditum esse sibi videatur, Reitzenstein non explicavit, sed videtur censere summam argumenti, certe compositionem, iam Alexandrini poetae fuisse (cf. l. l. p. 102).

concludit (p. 88): 'Dass Catull einem alexandrinischen Dichter folgt, scheint mir damit erwiesen'. At verisimile est scriptores Alexandrinos haud raro nuptias et alios dies festos descripsisse; v. Reitzenstein ipse p. 87 et p. 88 adn. 2 (quacum cf. p. 94 sq.: 'Mit ihr', scil. poesi Alex., 'steht auch der ἐπιθαλάμιος λόγος, wie ihn Menander und Himerios charakterisiren, im engsten Zusammenhang'). Quodsi tales descriptiones haud rarae fuerunt, non est, cur Catullus unum exemplum expressisse putetur [1]). Neque formae fabulae certa vestigia insunt. Nam facile fieri potuit, ut Catullus, postquam Alexandrino more diem festum describere sibi proposuit, sua sponte fingeret nuptias Pharsali [2]) factas esse. Deinde apparet eas res, quae prorsus poesis amatoriae Alexandrinae sunt, a poeta Romano illa imbuto non abhorrere. Neque in vs 18 verecundiam [3]) reperio. In vs. 20 nimirum Catullus certo consilio scripsit verba *non despexit*, non tamen, opinor, Graeca verba vertens, sed mutata tempora respiciens (de hac re infra) Et dubito, an non Catullus, cum vs. 334—36 scriberet, de rebus futuris cogitaverit; neque enim Parcas facit vaticinantes foedus amantium sempiternum, sed celebratur deae heroisque amor atque concordia, *qualis adest* [4]). Contra vs. 299 sqq. Catullus fortasse vestigia Alexandrina sequitur. Et multa alia puto Catullum e carminibus Alexandrinis hausisse [5]). Sed certa vestigia nobis desunt, id quod ostendere mea interfuit. — De exemplo fabulae Ariadnae iam disputavi (p. 38 sq.).

---

[1]) Carmina nuptialia Alexandrina Catullo satis nota fuisse videntur.

[2]) Tali descriptioni caput regni multo magis convenit quam Pelion mons.

[3]) Mihi quidem poeta nihil egisse videtur, nisi ut perspicuitatem imaginis nympharum emergentium augeret; verecundus si fuisset, vix memoravisset nymphas nudas fuisse.

[4]) Si quis tamen censet hanc esse nimiam socordiam, admoneo eum de discrepantia inter vs 11 et 53 intercedente: Catullus enim satis neglegenter in veste, qua lectus genialis unius ex Argonautis prima nave (vs. 11) vectis tegitur, classem (vs. 53) depictam fingit.

[5]) Non dubito, quin nuptiae Pelei et Thetidis saepius a poetis Alexandrinis sive uberius sive brevius tractatae vel attactae sint. Cf. Reitzenstein l. l. p. 83 adn. 3.

Maassii argumentis Reitzenstein hoc addit (p. 101): 'Dass das Lied von Ariadne aus einer alexandrinischen Vorlage stammt, beweist bekanntlich der bei Cicero erhaltene Vers des Originals πολλὰ μάτην κεράεσσιν εἰς ἀέρα θυμήναντα' [1]). Equidem puto diiudicari non posse, unde Catullus versum 111 mutuatus sit; videtur aut *Hecalae* [2]) aut carminis alicuius ad Minotaurum pertinentis fuisse. — Ut Catullus multa et e certo de Pelei nuptiis et e certo de Ariadna carmine deprompserit, tamen fabulas aeque atque in epyllio Catulli iam in uno carmine Alexandrino copulatas fuisse [3]) Reitzenstein minime demonstravit. Praeceptis Menandri, quae idem v. d. p. 100 affert, docemur nuptias et Pelei et Ariadnae in epithalamiis tractari solitas esse, in uno carmine eas coniunctas fuisse non docemur. Neque mihi persuasit Reitzenstein ita argumentatus (p. 101): 'Nur wenn ich das Original seines Liedes mit einer Hochzeit in Zusammenhang bringe, vermag ich Gewicht darauf zu legen, dass der Hochzeit des Sterblichen mit der Göttin die des Gottes mit der Sterblichen entspricht' [4]). Contra ambae fabulae cum eis locis, ubi poeta e sua persona loquitur, praecipue cum vs. 383 sqq., qui ad carmen nuptiale nullo modo quadrant, tam arte cohaerere mihi videntur, ut verisimile sit omnia simul concepta, non illos versus postea a Catullo additos esse. Sane poeta duas nuptias inter se opposuit, sed non eo consilio, ut epithalamium scriberet. Potius taedio sui saeculi captus meminit illius aetatis beatissi-

---

[1]) Simillimi sunt versus Eur. Bacch 743, Verg. Georg III 232 sq. (cf. Aen. XII 104 sqq.), qui *irascendi* quoque verbum, quod Catullus omisit, exhibent.

[2]) Cf. Haupt, *Opusc.* II p. 81, Schneider, *Call.* fr anon. 389. Si versus *Hecalae* fuerit, Catulli imitatio minime mira sit: vix enim dubium est, quin Catullus, qui Callimachum magni aestimavit, hoc carmen praeclarissimum noverit. Et quod Cicero versum quasi pernotum laudat, maxime conveniat celebritati *Hecalae*.

[3]) Simili quidem compositione Alexandrinos poetas sequentes *scutum* Hesiodeum interdum usos esse verisimillimum est, quamquam exempla non exstant; sed Catullus potuit hunc modum ab eis ita discere, ut ipse adhiberet.

[4]) Longa querela mulieris desertae, etiamsi omen malum exitu narrationis tollitur (Reitzenstein p. 101), carmini nuptiali apta non est.

mae, cum dei atque deae *humanos hymenaeos* nondum despexerunt [1]. Exempla affert duo: Thetis dea a deis Peleo in matrimonium data est, dei amore Ariadne infelix reddita est beata. Puto igitur causam coniunctionis utriusque fabulae positam esse in poetae saecula feliciora votis requirentis maesta mente. Atque hic status animi maxime convenit Catullo, qui amoris dolores acerbos hauserat [2]. Denique, si maiores carminis partes, quam Reitzenstein putat, a Catullo ipso inventae sunt, corruit hoc Reitzensteini argumentum: 'Dass es' (scil. carmen Ariadnae) 'dasselbe Lied ist, welchem auch die Hochzeit des Peleus entnommen ist, beweist ausser der besprochenen Gleichheit des Inhalts die vollkommene Übereinstimmung des Stils' (p. 101, cum adn. 6). Non igitur mea sententia Reitzensteino contigit, ut Catullum unum exemplum Alexandrinum secutum esse demonstraret.

E Ps.-Vergilii *Ciri* Knaack (*mus. Rh.* 57 p. 285 sqq.) tria carmina Alexandrina restituere conatus est [3]. Sed non est meum hanc de *Ciris* fontibus quaestionem tractare, quia, etiamsi certa carminum vestigia reperiantur, epyllia non eruuntur.

---

[1]) Pulchre Ribbeck, *Gesch. d. röm Dichtung* I² p. 333 sqq. rem explicavit.

[2]) Neque incredibile est ex eis, quae ipse expertus erat, nonnulla influxisse in querimoniam Ariadnae.

[3]) Hoc non probat Kroll, *N. Jb. f. Phil. u. Paed.* 1903 p. 15 n. 1. Mihi quoque deliberanti rationem *poetarum novorum* (v. p. 40), quorum vestigiis incertus auctor *Ciris* insistit (cf. Leo, *Herm.* XXXVII p. 48 sq.), res valde incerta videtur.

Caput III.

De epylliorum proprietate.

Priusquam ad proprietatem epylliorum explicandam accedam, nonnulla liceat praefari. Atque aliud quidem est poesis alicuius genus describere, aliud proprietatem poeticam certi cuiusdam poetae certive carminis Neque enim genus adumbrantis est ea exponere, quae unius alicuius poetae propria sunt, sed his omissis ea sola, quae de toto genere valent aut quibusdam eius partibus communia sunt At epylliorum genus adumbraturo obstant maximae difficultates: etenim ex epylliorum Alexandrinorum numero olim haud dubie permagno non plura quam sex hodie exstant eaque multis rebus inter se discrepant; neque fragmentis ceterorum epylliorum magnopere adiuvamur. Itaque vix aliud nobis relinquitur, nisi ut ea, quae ex hoc poematum genere fortuito servata sunt, enumeremus. Sed hoc modo nanciscimur imaginem plane imperfectam. Nam haud pauca ex eis, quae in epylliis Alexandrinis plurimum valuisse e carminibus eorum similibus apparet, in conservatis epylliis Al. aut rara sunt aut omnino desunt [1]). Deinde maxime dolendum est propter parvum exemplorum numerum fieri non posse, ut aut epyllia accuratius ab aliis poesis generibus segregemus [2]) aut gradus processus que epylliorum ipsius generis subtilius definiamus. Tamen conabor res epylliorum maxime proprias, quoad eius fieri poterit, percensere.

---

[1]) Proinde gravissima saltem ex illis carminibus arcessantur.

[2]) Neque enim licet ex eo, quod quarundam propriarum rerum exempla desunt, colligere totum genus eis caruisse.

I. De doctrinae studiis.

Exspectaveris epyllia ut carmina Alexandrina, quae ad fabulas pertineant, notabilia fuisse doctrinae studiis. Verum in eis, quae integra habemus, haec proprietas haud ita valde cernitur. Vix enim invenias in M. II vestigia doctrinae. Neque in M IV vel in Theocriti epylliis occurrunt recondita loca aut rara nomina (cf. Legrand l. l. p. 99 –101). Tamen non omnino desunt in illis carminibus vestigia doctrinae. Velut viro docto antiquos mores colligenti conveniat descriptio ritus in Th. XXIV 88–100; nec minus accuratae investigationis speciem praebet enumeratio magistrorum Herculis ibid. vs. 105 sqq.[1]; et redolet doctrinam studium obscuritatis in M. IV conspicuum.

Verumtamen erraret, qui ex integris epylliis de toto huius poesis genere iudicium faceret; nam fuisse epyllia, quae largiorem doctrinam cohiberent, documento sunt fragmenta quorundam epylliorum.

Atque primum quidem in sermone exquisito nonnullorum carminum doctrina latet. Amantur verba rara insolitove sensu adhibita[2]) aut cognomina recondita; sed ab insulsitate Lycophronis illi poetae se abstinuisse videntur. — Accedit studium interpretationis nominum (quod animadvertas in *Hec.* fr. 184, cf. Naeke l. l. p. 103 de fr. 429; Dilthey l. l. p. 38 sqq.), quocum arte cohaeret studium causarum explicandarum (cf. p. 6 n. 4). Tractantur modo αἴτια, quae ad fabulam carminum ipsam pertinent[3]), ut in *Hecala* Hecalesia a Theseo instituta (cf. Prop. IV 4, 93), modo inseruntur secundariarum rerum causae: ut in *Hecala* aperitur, cur cornices Acropolin fugere debeant (cf. col. III, *Pap. E. R.* VI p. 11), explicatur color corvi (col. IV 3—8),

---

[1]) Quatenus Theocritus hac in re studiis veris nixus sit, diiudicari non potest, cf. Legr. l. l. p. 86 sq.

[2]) Pars fragmentorum *Hecalae* debetur interpretationi grammaticorum, quae in lexicis veteribus exstat. De Euphorione glossarum amantissimo cf. Meineke, *Anal. Al.* p. 33 sqq.

[3]) Neque tamen semper debuit *causa* cuiusdam *legendae* afferri; v. Th. c. XIII.

enarratur origo *Θησηίδος* (fr 311, cf. Plut. Thes. V; Naeke l. l. p. 159). — Denique clarissime elucet doctrina ex eo, quod poetae quasi grammatici interdum de diversis fabulis disputant (cf. Rohde l. l. p. 97 n. 3), ut Euphorio in fr. 36 (cf. p. 32); cf. etiam longam disputationem *Ciris*, praecipue vs. 54—91. Non de fabula, sed de alia re disceptatur in Call. (*Hec.*) fr. 48.

Quod ad electionem fabularum attinet, scriptores epylliorum aut in fabulis notis enarrandis acquieverunt aut in eis retractandis novas formas elegerunt aut reconditas fabulas indagaverunt. Tamen praeter leviora nonnulla narrationis causa mutata plerique Callimachi rationem, qui *ἀμάρτυρον οὐδὲν* cantabat (cf. Rohde l. l. p. 97 n. 2), secuti esse videntur. Quamquam quatenus illam rationem obtinuerint, certo cognosci non potest; nam, etsi in carminibus eorum singula nobis aliunde non nota invenimus, plerumque tamen discerni nequit, utrum poetae ea nescio unde investigaverint an ipsi excogitaverint. Suo fortasse Marte Theocritus (XIII 73—75) Herculem *λιπονaύτην* pedibus in Colchidem vehentem fecit (cf. Legr. l. l. p. 90) et nomina numerumque nympharum Hylam rapientium (XIII 45) invenit (cf. Knaack, *Herm.* XXIII p. 137, et Tuerk l. l. p. 27). Neque incredibile est eum sua sponte decem mensium puerum (XXIV 1) rem gerentem fecisse (cf. Legr. l. l. p. 100 et 188). Maiore licentia usus Nicias Polyphemum a Galatea amatum finxit, si modo Hollandii opinio quam p. 31 attuli, recta est.

II. De inventione.

Fabulis ita utuntur poetae epylliorum, ut res humanas tractent, quibus omnino artifices, et poetae et pictores fictoresque, tunc maxime delectabantur, seu vitam familiarem agrestemve, seu affectus hominum depingunt. Quo fit, ut ab illis poetis res quasi e priscis temporibus in ipsorum aetatem transferantur. Fabulae autem sunt de deis heroibusque, non de hominibus aetatis Alexandrinae. Videamus nunc, quomodo haec discrepantia, quae est inter materiem fabulis oblatam et studia poetarum, componatur. — Studio veritatis

exprimendae miracula non conveniunt[1]; epylliorum igitur scriptores cavent, nequidquam, quod contra naturam fiat, fingant: velut in Th. XXIV Hercules puer decem mensium, non infans modo natus, rem gerit (cf. p. 46, Legr. l. l. p. 188), et vs. 22 domus luce completur, ut puer clare videre possit[2] (Legr. l. l. p. 188); cf. etiam ea, quae Wilamowitz (*Eur. Herakl.* I² 84 adn. 161) de M. IV 91 sqq. dicit: 'der dichter, in allem vermenschlichend, hat den traum so gehalten, dass er keiner himmlischen offenbarung bedarf.' — Imprimis autem res divinae obstant veritatis studio. Itaque hae res, quoniam excludi non prorsus poterant — nimirum quibusdam in fabulis etiam maximi momenti sunt —, breviter attingi solebant. Audimus quidem deos hoc aut illud effecisse, ut in Th. XXIV 13, 21 (cf. p. 23 n. 1), sed agentes eos raro videmus; nec deorum colloquia olim usitata in epylliis Al. invenimus[3]. Apud Quint. Smyrn. (X 334—62) quidem finguntur Iuno et Horae in Olympo sedentes, sed nihil agunt, nisi quod loquuntur de rebus futuris, neque ipsas eas audimus, sed oratione obliqua poeta de eis refert[4]. Introducuntur saepius dei, qui cum hominibus commercium habent, sed ipsi hominum affectibus perturbati; cf. Rohde l. l. p. 107: 'man zog die Götter völlig zu den sterblichen Menschen herunter, zu ihrer Schwäche, Empfindsamkeit der willenlosen Überwältigung durch die Eine Leidenschaft. . . . Es besteht jetzt in der That zwischen den Schilderungen menschlicher und göttlicher Liebesverhältnisse kaum noch ein wesentlicher Unterschied des Charakters. . . Zeus selbst und Apollo sind für diese Dichter die eigentlich galanten Götter'. Ad hos duos deos spectant fabulae Europae (M. II.) et Hyacinthi (v. Bionis fr. XII); praeterea amores deorum

---

[1]) Sollerter Th. XIII 46 sqq., ubi miraculum tacere non potuit, rem instituit (cf. Legr. l. l. p. 187 sq.).

[2]) Accedere puto aliam causam; de qua infra.

[3]) Vita deorum sicubi in epylliis accuratius depicta erat, haud dubie similiter atque in Call. h. III (cf. Haupt, *Op.* I p. 255 sqq.) ad formam vitae humanae redacta erat.

[4]) In ceteris epylliorum vaticinationibus oratio recta adhibita est.

marinorum, ut Glauci, Galateae, et mympharum (cf. Rohde l. l. p. 109 n. 1) haud raro tractati esse videntur. Potentissimi autem deorum sunt Venus, ἣ μούνη δύναται καὶ Ζῆνα δαμάσσαι, et Amor, quorum negotia non solum breviter memorantur (Th XI 16, XIII 71, M. II 1 et 75 sq.; cf. Cat. 64, 95 sq., *Cir.* 133 sqq. 158 sqq.), sed interdum etiam, similiter atque in aliis carminibus amatoriis (cf. Rohde l. l. p 149 n. 4) accuratius exposita esse videntur. — Consimilia atque dei patiuntur h e r o e s: fiunt scilicet homines mediocres. Quid, quod Argonautae Herculem illudere audent (Th. XIII 73 sq.)? Neque augetur admiratio heroum narratione perturbationis illius nocturnae (XXIV 34 sqq.). Ac ne in c. XXV quidem Hercules, quamvis multa de eius robore narrentur, veri herois speciem praefert; cf. Legr. l. l. p. 184 sq. Sic heroica quidem poesis in inferiorem locum detrusa est, non κρείττους, sed ὅμοιοι (cf. Arist. art. poet. cap. II) ficti sunt, at certe hoc modo vita vera expressa est. — Heroum m o r e s accuratius depicti sunt in his epylliis. In Th. c. XI [1]) notantur mores Polyphemi, qui tamen non est Cyclops immanis antiquae fabulae, sed adulescens satis mansuetus, puerilis, eximia simplicitate animi, sibi placens, agrestis. Imprimis vero poetae non tam heroes notos, quam heroum aequales minus conspicuos sibi elegisse videntur Veluti Theocritus in c. XXV parte prima multo magis quam ad Herculem animum intendit in senem affabilem, sedulum, qui sorte sua contentus domini divitiis gaudet Neque minorem curam Callimachus moribus Hecalae describendis impertivit, anus illius χείλεα ἀείπλανα habentis (fr anon. 2), curiosae, simplicis, hospitalis, quamquam pauper est, contentae, etsi olim meliore fortuna usa est. — Hae tres personae homines sunt rustici. En s t u d i u m b u c o l i c a r u m r e r u m, quarum illi poetae amantissimi fuerunt. Scatent omnino epyllia exemplis huius Alexandrinorum amoris, ut Th. c. XXV. cuius cum prima tum altera pars ad res pastorales pertinet, Th. c. XIII (cf. vs.

---

[1]) Similiter Bion Polyphemi mores tractasse videtur, cf. Holland l. l. p. 250.

12 sq., 25 sq., 30 sq.), c. XI, quod hucusque in numero poematum bucolicorum habitum est, Bionis *Galatea*, ubi Galatea, ut videtur, pastore orbatum gregem pascens introducta est (Holland l. l. p. 271). — Accedit cura rerum familiarium [1], quae praecipue in *Hecala* comparuit (cf. Haupt, *Op.* I p. 253). — Artissime porro cohaeret cum studiis bucolicis poetarum delectatio e natura hausta, quae hominum taedio urbanitatis nimis excultae captorum propria est. Quae delectatio aut e poetarum ipsorum verbis elucet, ut ex Th XIII 40-42 [2], aut e verbis eorum, quos loquentes faciunt, v. Th. XI 45--48, XXV 7—33 (cf. p. 26), Call. *Hec.* col IV 11 sqq. — Denique summa cum cura praeter ceteras cupiditates amor describitur; quamquam huius studii plurima atque gravissima exempla perierunt. Imaginem autem totius huius poesis amatoriae Rohde (l. l. p. 145—65) tam egregie expressit, ut hoc munere supersedere queam. Et hoc notandum est poetas haud raro in affectibus moribusque effingendis eos homines, qui in fabulis exigui momenti sunt, in carminibus primo loco posuisse, id quod insuper novarum rerum studio maxime convenit; cf. ea, quae Wilam. (*Eur. Herakl.* I[2] p. 85 adn. 161) de M. IV disserit: 'es ist sein, wie überhaupt der besseren hellenistischen poeten, zweck, die allbekannten alten stoffe dadurch zu erneuern, dass er das licht auf andere personen fallen lässt .... hier werden mutter und gattin hell beleuchtet, und die sage hat nur noch den relativen wert, diesen typen individuelle persönlichkeit zu verleihen'. — Quemadmodum in hoc epyllio, item in ceteris, certe in heroicis, res se habet: fabulae minus ipsarum causa narrantur, quam quia poetis occasionem dant rerum humanarum depingendarum.

---

[1] Th. XXIV 34 sqq. iam attuli (p. 48).

[2] Hinc enim enumerationem plantarum, quae hoc loco vix exspectatur, enatam esse crediderim; aliter iudicat Legr. l. l. p. 201.

III. De narratione.

1. De *simulatione poetica* [1]) interrupta.

Narratione interrupta Th. in XIII 66 exclamat: *σχέτλιοι οἱ φιλέοντες*; sed haec admonitio sententiae in prooemio propositae carmini in epistulae formam redacto valde convenit. — Periculosum esse potuit studium doctrinae, et a poetis deterioribus, quorum ingenia magis ad doctrinam quam ad poesin inclinabant, hoc periculum nescio an non semper vitatum sit. Neque vero Callimachum poetasque elegantiores pulchritudinem poeticam hoc modo minuisse arbitror. [2]) — Simulatio poetica deinde eo turbari potest, quod ii, qui legunt, admonentur, quanto intervallo tempus carminis, i. e. aetas heroica, et tempus poetae inter se distent. In epylliis Al., quae exstant, aetas prisca solet significari, sed semper initio, sive in prooemio (Th. XI 8, XIII 2), sive, si id deest, ineunte narratione (Th. XXIV 1, M. II 1); in narratione ipsa prudenter hoc intervallum tacetur [3]). — Denique poetae a simulatione poetica recedunt, cum media in narratione e sua persona res praeteritas referunt aut res futuras anticipant. Illarum exstant praeter breves nonnullas enuntiationes secundarias duo ampliora exempla: M. II 38—42 (de calathi possessoribus; cf. Hom. *B* 101—108) et Th. XXV 118—41 (ubi item de dono refertur, sed nimis fuse). Anticipatio vero rerum, quae post finem carminis futurae sunt (cf. Hom. *M* 3 sqq.),

---

[1]) Hoc nomine id significo, quod nos *dichterische Illusion* appellamus.

[2]) Non dico doctrinam ab eis omnino occultatam esse, sed ita eam apparuisse puto, ut molesta non fuerit. Disputationes longiores (cf. p. 46) haud dubie prooemiis tribuendae sunt; interpretationes nominum et causarum, si non semper, at certe saepe orationibus intextae sunt, cf. p. 45 sq.: *Hec.* col. III, IV, 3—8, fr. 311, cf. *Cir.* 303—306, ubi quidem nimis clare e verbis Carmae vox poetae docti elucet. Neque Call. fr. 48, 52, 110, 184 ab orationibus abhorrent; quamquam inde non licet colligere debuisse horum versuum pristinam sedem in orationibus esse.

[3]) Contra Apollonius Rhodius et multi poetae Romani saepe diserte tempora prisca aetati suae opposuerunt, cf. Heinze l. l. p. 365 sq., Prop. IV 4, 9—14.

occurrit tantummodo apud Th. XIII 22 sqq. Res autem, quas paulo post ipsi narrabunt, poetae interdum ibi, ubi ad aliquid aliud transituri sunt, breviter significant verbo *ἔμελλε* modo adhibito, modo omisso: M. II 72 (cf. vs. 7: *ἔτι παρθένος*), cf. Q. Sm. X 329 sq., 363. — Videmus igitur epyllia Al. servata non multum abesse a praecepto Aristotelis (art. poet. cap. 24, 1460 a 7 sq.): *αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν· οὐ γάρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητής*. Licentiae autem, quae sumuntur, pleraeque iam in carminibus Homericis reperiuntur. Quin etiam hac in re epyllia illa Homericis carminibus similiora sunt, quam carmina heroica eorum poetarum, qui Homerum insecuti sunt, fuisse videntur; cf. Arist. l. l. a 8 sq.: *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι αὐτοὶ μὲν δι' ὅλου ἀγωνίζονται, μιμοῦνται δὲ ὀλίγα καὶ ὀλιγάκις*. — Neque tamen defuisse apud Graecos epyllia, quae propius ad poesin lyricam accesserint, colligi potest ex epylliis Romanis; cf. Heinze l. l. p. 363.

2. De orationibus.

Orationes sunt membra actionis [1]. Verum saepius in eis componendis poetae simul alio tendunt. Orationes enim aptissimae sunt, quibus et animi hominum, seu mores seu affectus, aperiantur [2], et res, quae ad narrationem principalem non pertinent, referantur. Itaque poetae, ne rebus, quas afferre eorum interest, simulationem poeticam destruant (cf. p. 50 sq.), libentius homines, quos introduxerunt, narrantes faciunt. Atque praeterita quidem apte narrant ei, qui inter-

---

[1]) Ad hanc pertinent imprimis mandata, quibus effectis actio promovetur: Th. XXIV 35—40, 48 sq., 50, M. II 102—107. Omnibus his locis iussi nihil ad mandatum respondent, id quod a poesi antiqua nequaquam alienum est, cf. Heinze l. l. p. 400: 'Dass der Beauftragte seinen Auftrag stumm entgegennimmt, ist auch bei Homer durchweg üblich'; cf. etiam Cat. 64, 237, Verg. Georg. IV 414 et 547. — At illud mandatum, quod Th. XXIV 88—100 studio ritus describendi commotus simulat cf. p. 45), ab actione abest (quapropter exsecutio eius iure tacetur, cf. p. 24).

[2]) Ex eis, quae de moribus et affectibus disserui (p. 48 et 49), plurima ex orationibus petita sunt, sive e dialogis, sive e monologis (de monologis cf. Heinze l. l. p. 422).

fuerunt, ut Hercules in Th. XXV 193—281, cornix in Hec. col. II et III [1]), Ulixes, ut videtur (cf. p. 29), in Philetae *Mercurio.* Futura autem optime vaticinationibus praedicuntur (cf. p. 34), ut in Th. XXIV 73 sqq. et in *Hecala* vaticinatione cornicis, ex qua col. IV vs. 2—8 restant; cf. Cat. 64, 348—71. Hae narrationes et rerum praeteritarum et futurarum plerumque a m p l i o r e s sunt, quam ambitui carminum convenire videtur, praesertim cum interea actio principalis conquiescat. — Item orationes, quibus praecipue res ad animos pertinentes exprimuntur, interdum multo praevalent ceteris rebus narrationis; quin etiam a nonnullis carminibus actio omnino abest: Th. c. XI paene nihil nisi monologum, M. IV tantum dialogum continet. — Omnino orationes epylliorum Al. m a g n a m p a r t e m o b t i n e n t [2]). In eis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, paene dimidium versuum (48%) et M. IV atque Th. XI (quae maximam partem ex orationibus constant) praetermissis paene tertia pars (30%) orationibus occupata est. Similisque ratio est in epylliis Romanis atque Byzantinis. — Ubi amplae orationes inseruntur, r e s

---

[1]) Videlicet ea quoque homines narrare possunt, quae ex aliis audiverunt. Vestigia narrationis Thesei incerta sunt, cf. Wilam. l. l. p. 738 sqq.; quod autem idem v. d. p. 740 (cf. adn. 1) affirmat: 'Die trozenische Jugend des Theseus kam zwar vor, war aber nicht von diesem erzählt', me plane assentientem non habet. Potuit sane Theseus per alios de rebus, quibus ipse non interfuerat, certior fieri potuitque de eis narrare aliorum verba repetens (cf. col. I 8 sq.: vix quisquam, si hi versus soli ex col. I superessent, putaret Theseum loqui; cf. Verg. Georg. IV 494—98. — Longa narratio dei vaticinatione praediti exstat apud Verg. G. IV 453—527 (cf. Skutsch l. l. p. 144).

[2]) Atque quod attinet ad dialogos, in epylliis Al. servatis loquentium uterque ea, quae dicere in animo habet, aut una oratione continua profert (v. M. II 135—52, 154—61, M. IV 1—55, 62—125, cf. Q. Sm. X 284—305, 308—27), aut certe haud saepius quam semel alteri respondet (v. Th. XXV 3—41, 43—50, 52—61, cf. p. 27 n. 1). Quam rationem praevaluisse putaverim (cf. Heinze l. l. p. 406 sq.), etsi non habemus, quod in dialogis epylliorum interdum crebriorem vicissitudinem loquentium aut altercationem (cf. Th. XXII 54 sqq.) locum habuisse negemus.

exterae facile negleguntur[1]). Veluti paene omnia ea, quae oculis percipiuntur, desunt in Th. XXIV parte II; v. brevem introductionem sermonis vs. 66: *Ἀλκμήνα καλέσασα . . κατέλεξε*; ante oculos ponitur Tiresias non ante vs. 101. Et auctor M. IV res externas plane omisit. Cf. Quint. Sm. X 389 sqq., ubi nihil de condicione et loco orationis Helenae comperimus[2]). — In aliis epylliis tanti poetarum interfuisse videtur orationibus affectus hominum illustrare, ut actionem ipsam saltuatim referrent. Quod apparet e carminibus epylliorum Alex. similibus, de quibus cf. Rohde l. l. p. 142 adn. 1: 'Die über die Schilderung des rein Thatsächlichen schnell hinweg, zu den lyrischen Ergüssen der Empfindung oder der Ausmalung pathetischer Situationen eilende Darstellungsweise wird man leicht bemerken: z. B. bei Musäus, in einzelnen Erzählungen des Ovid . . , ganz vorzüglich aber in der Ciris. Ähnlich in Catulls Erzählung von Theseus und Ariadne, C. LXIV 52—264; und sehr auffallend in der elegischen Erzählung des Properz (V 4) von der Tarpeja. Vgl. auch des Quintus Erzählung von Paris und Oenone'. Ac similiter disserit Knaack, *P.-Wiss. R.* I 1402: 'es wird der ernstliche Versuch gemacht, die Seelenstimmung der Helden und Heldinnen zu analysieren, während die eigentliche Erzählung sprungweise fortschreitet oder sich mit Andeutungen begnügt'[3]).

---

[1]) Tamen non deest, ubi poetae, etsi orationes praevalent, rebus exteris consuluerint: ut in Th. XXV vs. 68 sqq. imago quaedam vitae rusticae proponitur, vs. 155 sqq. regio paulo accuratius, quam fieri solet, describitur, vs. 189 sqq. res minuta fingitur, qua legentes, ut arbitror, de via admoneantur.

[2]) Vs. 364—429 poeta paene nihil agit, nisi ut exprimat, quomodo singuli Paridis morte commoti sint; neque actionem ibi praebet, sed quasi comparationem affectuum (cf. praecipue vs. 411, ubi Oenonae verus dolor opponitur luctibus aliorum. Vs. 369 Quintus a maerore eorum, qui apud mortuum sunt, ad eos, qui in urbe habitant, transit; apparatum sepulturae, quem statim post vs. 368 exspectaveris, demum vs. 460 sqq. factum esse memorat.

[3]) Nihilominus Knaack, *Festgabe f. Susemihl* p. 49 sq. valde obiurgat Musaeum de hac eadem ratione (quod attinet ad orationes, in Musaei carmine habes 28 %; cf. ea quae p. 52 disputavi).

3. De descriptionibus.

Epylliorum complures loci cum artis operibus, sive pictis, sive sculptis, quandam similitudinem habent [1]), cf. Helbig, *Untersuchungen über die campanische Wandmalerei*, p. 224 sqq. de M. II 125 sqq., 115 sqq., p. 261 de Th. XI 9, cf. p. 113 de Cat. 64, 52 sqq.; cf. etiam Couat l. l. p. 386 n. 3 et Legr. l. l. p. 220 de Th. XXV 145 sqq.: 'le poète .. essaya certainement de produire par ses vers l'impression d'une oeuvre plastique'. — Quin etiam artificiorum descriptionibus haud raro carmina exornata sunt. Hae ἐκφράσεις Alexandrinorum quidem poetarum non propriae sunt, nam antea quoque adhibitae sunt, sed praecipue Alexandrina aetate usitatae fuisse videntur; cf. Rohde l. l. p. 335 n. 3. Poetae aut nihil in animo habent nisi quandam supellectilem, quae eis placet, describere (cf. Th. I 27 sqq.), sive eam viderunt, sive ipsi commenti sunt, aut ad eam rem mentionem alicuius artificii faciunt, ut occassionem narrandi assequantur, cf. Cat. 64, 52 sqq. In epylliis Al., quae exstant, habemus descriptionem calathi in M. II 43—62: hic τάλαρος depingitur sua ipsius causa [2]), neque res descriptae ad actionem carminis quidquam conferunt; quamquam videtur etiam poetae in animo fuisse de simili sorte, quae Europam maneat, tacite admonere [3]). — Accedunt descriptiones hominum atque bestiarum. In humana pulchritudine depingenda poetae epylliorum Al. iure ea sola afferunt, in quibus inprimis venustas illorum hominum posita est: v. Th. XIII 7 (cf. Helbig l. l. p. 258) et vs. 45. Aut ex caterva aliqua ante oculos legentium

---

[1]) Exponere, uter prior sit, poeta an artifex, non est meum. Hoc unum memoro sententiam Brunnii (*Sitz.-Ber. d. bayer. Ak., phil.-hist. Kl.*, 1879 p. 1 sqq.), qui carmina Th. XIII et XXIV descriptiones operum et artificiorum esse coniecit et hinc compositionem carminum explicare studuit, a Legrandio (l. l. p. 224 sqq.) iure reici.

[2]) Etiam materia, e qua Io (vs. 44, mare (vs. 47), Nilus (vs. 53), Iuppiter (vs. 54) ficti sint, nominatur; cf. Hes. *scuti* vs. 183, 188, 192, 208, 212 sq., 220, 222, 225 sq., 231, 243, alios.

[3]) Cf. Lafaye, *Catulle et ses modèles* p. 147.

collocata unum vel unam eminentem faciunt: v. M. II 69—71, 125-30. Bestiarum descriptiones[1]) artissime cum actione coniunctae sunt: ut Th. XXIV depinguntur serpentes (vs. 14, 17—20, 24), dum arrepunt; cf. Legr. l. l. p. 192: 'Les portraits successifs du lion (Id. XXV, v. 224—226, 232—234, 241—246) se placent à des moments où les yeux du héros sont attachés sur lui'. — Locorum descriptiones — dico eas, quas poetae ipsi proferunt, non eas, quas orationibus heroum intexunt — haud crebrae sunt. Satis plerumque habuerunt locum breviter indicare, modo Th. XIII 40—42 (cf. p. 49) et XXV 156—58 (cf. p. 53 n 1) regio paulo prolixius adumbratur. — Denique etiam alia quaedam ad descriptionem pertinent, de quibus Heinze sic disputat (l. l. p. 389): 'Zu Gegenständen der Beschreibung können .. ausser konkreten Dingen auch Vorgänge werden, wenn es der Darstellende darauf ablegt, uns nicht den Verlauf des Vorgangs zu erzählen, sondern durch Nebeneinanderstellen von Einzelzügen ein zusammenfassendes Bild des Vorgangs zu entwerfen. . . Das Gemeinsame aller Arten von Beschreibung ist, dass dabei die fortschreitende Handlung stockt; der Leser bleibt stehen und beschaut ein Bild in allen seinen Einzelheiten.' Huc refero M. II 64—69, 115—24 (cf. p. 54), Th. XXV 100—107, ubi negotia, quae depinguntur, continuantur, poeta autem, qui quasi spectator est, ut libet, tum huc tum illuc oculos vertit.

4. De actione.

Fuisse poetas, qui interdum saltuatim narrarent, supra memoravi (p. 53). Aliter res se habet in eis epylliis, quae manserunt. Ex his duo divisa sunt in ternas partes, quarum quaeque perfectam quandam exhibet narrationem[2]). In Th. c. XXV insuper singulae partes lacunis distinentur[3]). In his

---

[1]) De M. II 80—88 infra disseram.

[2]) In XXIV: I=vs. 1—63, II=64—102, III=103—140 (quae pars tamen non narrationem, sed enumerationem continet); in XXV: I=1—84, II=85—152, III=153—281.

[3]) Res, quae inter singulas partes factae esse cogitari possunt, a poeta non respectae sunt: quo fit, ut, si eas reputare conaris, summas in dif-

singulis partibus epylliorum tripertitorum et in ceteris epylliis semper observatur continuitas narrationis[1]). Ac ne ibi quidem interrumpitur progressio continua, ubi compluria uno tempore acta tractantur, sed sicut in carminibus poesis epicae antiquissimae[2]) item in epylliis Al. conservatis res narrantur eo ordine, quo fiunt. Simul prospicit poeta attentioni spectatorum: semper, priusquam ad alteram actionem transit, priorem usque ad statum durantem persequitur, a quo spectator satiatus oculos libenter alio vertit[3]). Cuius rei in epylliis Al. exempla reperis haec. In M. II dum puellae in prato oblectantur, Iuppiter introducitur (vs. 74). Adde quod in Th. XXIV, dum Hercules cum serpente luctatur, ducimur in cubiculum regis (vs. 34). Porro in c. XIII, dum Argonautae epulas et stratum apparant, Hylas abit (XIII 36); hunc flentem dum Nymphae consolari student, Hercules proficiscitur ad eum petendum (vs. 55); et dum per montes silvasque errat, certiores fimus de Argonautis (vs. 67), qui dum in aliqua actione durante[4]) occupati sunt, reducimur ad Herculem (vs. 70). Cf. Quint. Sm. X 362, quo loco verbis *ἄλλα πολλά* additis poeta non prius ad Paridem redit, quam

---

ficultates incidas (cf. p. 26). Res cum ita se habeat, non alienum est in ineunte tertia parte tempus non significare; neque enim e re poetae est legentes de illo intervallo admonere, quoniam hoc secum considerantes facile mirentur, cur Phyleus nomen Herculis nondum cognoverit.

[1]) Videlicet res minutae interdum omittuntur, ut Moschus initio carminis II orientem lucem praetermisit neque in vs. 74 notavit, e quo loco Iuppiter Europam prospiceret, et Th. in c. XXIV introducere orationes omisit (cf. p. 23).

[2]) De hac consuetudine egit Zielinski, *Die Behandlung gleichzeitiger Ereignisse im antiken Epos (Philol. Suppl.* 8 p. 405 sqq.*)*. Is statuit legem, quam nominat *das psychologische Incompatibilitätsgesetz:* 'mehrere gleichzeitige Handlungen sind für unser Schauen unvereinbar', (p. 411); quae lex in carminibus Homericis nusquam violata est (v. Z. p. 419, 448).

[3]) Quae ratio alienissima est a ratione illorum scriptorum nostrae aetatis, qui potius libenter id agunt, ut exspectationem legentium augeant.

[4]) Verba quidem corrupta sunt, sed perspicuum est illam rem aliquanti temporis fuisse, cf. vs. 69 imperfectum tempus, vs. 70 participium.

colloquium Iunonis et Horarum ad durantem statum redegit; vs. 368, dum omnes in saltibus Paridem lugent [1]), poeta ad ea se convertit, quae Troiae aguntur; vs. 411, dum Troiae luctus communis est, ad Oenonam revertitur. — Totas duas actiones, quae diversis locis simul fiunt, a poetis, qui ordinem temporis sequuntur, tractari nequire perspicuum est. Sed licet, ut nonnulla saltem alterius actionis memorentur, paulisper oculos ab altera ad alteram convertere, id quod Th. XIII 68—70 fecit [2]). Aliter Theocritus in c. XXIV assecutus est, ut, dum ipse de rebus apud parentes gestis agit, victoriam Herculis, quem luctantem reliquit, suo tempore commemoraret. Ingeniose enim, ne loco mutato alteram actionem interrumperet, in vs. 46 verbis '*παστὰς ἐνεπλήσθη πάλιν ὄρφνας*' significavit finem pugnae [3]). — Progressio actionis denique saepe ita fit, ut aliquis ab uno loco ad alterum proficiscens fingatur. In his itineribus exprimendis poetae quibusdam licentiis, quae iam in carminibus Homericis occurrunt, usi sunt; cf. Zielinski l. l. p. 421: 'Da sie nur durch wenige Worte angedeutet werden, so steht es dem Dichter frei, diese Andeutungen an den Anfang, ans Ende oder an Anfang und Ende zugleich zu rücken'. Huius licentiae exempla in epylliis haud rara, sed numquam molesta sunt. Finis tantum itineris memoratur in M. II 89, sed initium non desideratur, quia ibi, unde taurus venit, nihil fit, sed actio potius in prato continuatur. Finis itineris deest in Th. XXV parte II, ubi tamen poeta non verbum adveniendi, sed omnino, ut videtur, adventum omisit (cf. p. 27). Aliis locis finis itinerum, etsi non indicatur, satis apparet ex ipsis actionibus hominum, ut Th. XIII 46 et 58—60, XXIV 66 (cf. p. 53), M. II 163 (cf. p. 59). Deinde sicut in carminibus Homericis itinera taceri potuerunt (cf. Z. l. l. p. 423), item interdum in epylliis homines quosdam abire non

---

[1]) Sed hoc loco sepulturae quoque initium narrare debuit, cf p 53 n 2.

[2]) Pulchre Theocritus hoc modo Herculis magnum dolorem atque amorem ostendit; nam apte legentes admonet, quantum temporis interea praeterierit. Simul praeparat profectionem Argonautarum.

[3]) Cf. vs. 22: Th. lucem invenit fortasse non solum propter causam p. 47 allatam, sed etiam, ut artificio vs. 46 uti posset.

dicitur, sive ei, qui abeunt, proximo tempore actioni non intererunt, ut in Hec. col. I 10 (cf. p. 30 n. 3), Th. XXIV 10 (cf p. 23), vs. 60 sqq. (ubi non narratur Alcmenam et servos dormitum isse, cf. p. 59), sive poeta de concursu multorum loquens iter eorum, qui paulo ante venerunt, praetermittit; ut Th. in c. XXIV, ubi parentes Herculis iam ante servos (vs. 52 sq.) in cubiculum infantium se contulisse putandi sunt (cui rei valde convenit verbum iterativum vs. 57: *δεικανάασκεν*). Item verba eundi omitti potuerunt, si ex rebus gestis intellegitur eos, qui agunt, locum mutasse, cf. Q. Sm. X 370, Colluth. 62, Cir. 223 [1]), Ov. met II 602. — Itineribus saepe aliquantum temporis consumitur, intra quod, nisi quid in via fit, actio conquiescit. Lacunae autem poetis, qui continuitati narrationis consulunt, molestae videntur; quapropter initium et finis itineris alicuius libenter paulum quidem narrando inter se distinentur. Poetae igitur non solum, interdum (ut Th. XIII 61 sqq., cf. Q. Sm. X 441 sqq.) comparationibus usi, referunt, quae in via facta quive sermones habiti sint (v. Th. XIII 58 sqq., XXV 62 sqq., M. II 115 sqq., cf. Q. Sm. X 265 sqq., 440 sqq.), sed etiam alias res, quas aliqua de causa proferre in animo habent, apte in illo spatio collocant: v. Q. Sm. X 334—62 (cf. p. 34), M. II 38—62 (cf. p. 50 et 54) vs. 80—88 [2]), Th. XIII 40—42 (cf p. 49). — Ut itinera, ita omnino *status constanter durantes* vel *progredientes* praebent occasionem digressionum: velut in Th. c. XXV, dum Augias, Phyleus, Hercules negotia agrestia inspiciunt, uberius de tauris Augiae a Sole donatis refertur (vs. 118—41; cf. p. 50). — Aliis locis insertae digressiones molestae videntur, quippe quibus actioni progredienti mora afferatur; atque profecto in epylliis Al. continuitatem narrationis nusquam nisi brevibus enuntiationibus secundariis, quarum exemplum durissimum Th. c. XXIV vs. 42—45 exhibent, turbatam videmus. —

---

[1]) Leo quidem (*De Ciri carmine coniectanea*, 1902, p. 15) post vs. 222 excidisse unum versum putat, sed ex exemplis a me allatis efficitur nihil deesse.

[2]) Poeta quidem taurum neque stantem neque currentem depinxit, at certe intervallum temporis, quod usque ad adventum tauri pertinet, quodam modo versibus explevit.

Celeritas narrationis videlicet in singulis partibus carminum varia est. Interdum narratio tam accurata copiosaque est, ut prope ad descriptionem accedat. Huius modi sunt imprimis pugnae hominum cum bestiis factae: pugna Thesei in *Hecala* descripta, Th. XXIV 26 - 33, XXV 142 - 49, 223 - 71 [1]. Deinde haud dubie diligentissime Callimachus depinxit Hecalam cibos parantem et Theseo apponentem (cf. Schneider, *Call.* II p. 181 sqq.). Denique huc referendi sunt Th. XXV 86—99. — Contra brevissime narrat Th. in c. XIII. — Accedit quod poetae non solum in conclusione carminum finem actionis continente (Th. XIII 72—75), sed etiam in fine narrationis earumque partium, quae per se perfectae sunt, interdum festinantius progrediuntur: ut Th. XXIV 60—63 (cf. p. 23 et 58), M II 162 sqq. (cf. p. 57); cf. Q. Sm. X 485 sqq.

IV. De compositione.

1. De prooemiis atque conclusionibus.

Haud raro epylliorum poetae omnia, quae narrationis non sunt, omiserunt, et exordia: v. Th. XXIV, M. II, M. IV, et conclusiones· v M. II, IV, Th. XXV, XXIV (cf. p. 27, 24 sq.). — Aliis epylliis poetae prooemia praemiserunt [2]. Inter quae nonnulla doctrina referta fuisse videntur, ut prooemium Euph. *Hyacinthi* (cf. p. 32, 50 n. 2). Cf. Cir. 1 sqq., praecipue vs. 54—91. — Musarum invocatio in epylliis Al. non invenitur. Nihilominus vix dubium est, quin hae invocationes non defuerint, cf. Cir. 92—100, Verg. Georg. IV 315, Mus. 1 et 14. Interdum rem ita instituisse videntur poetae, ut niterentur quasi testimonio Musarum aut deorum, qui rebus interfuerant; cf. Colluth. 7—12, praecipue 13; Call. hymn. III 110 sqq, 183 sqq.; Dilthey l. l. p. 15 n. 2, Rohde l. l. p 86 n. 2, Knaack, *Festg. f. Sus.* p. 54 n. 2, Ribbeck, *Gesch. d. röm. Dichtung* II p. 282—84. Et dum interrogant aut ipsi fabulas

---

[1] Ea quoque, quae antecedunt et quae sequuntur (vs. 206—22, 272—79), accurate depicta sunt

[2] Prooemia satis magna esse variasque res continere possunt, cf. Cir 1—100.

proponunt, haud raro, quoniam exspectationem legentium commovere nequaquam in animo habent (cf. p. 56 n. 3), finem aut partem fabulae in prooemio significasse videntur, cf. Mus. 1—15 Cir. 48—53, Prop. IV 4, 1 sq. — Brevem argumenti significationem exhibent Th. XI et XIII, quae carmina epistolarum speciem praeferunt[1]). In conclusionibus autem et carminum in epistularum formam redactorum (ut in Th. XI[2])) et aliorum epylliorum putare licet poetas modo expressisse, quid ipsi sentirent aut cogitarent de fabula narrata, modo res sub unum aspectum subiecisse, modo alia, ad quae fabula adducti erant, considerasse (cf. Cat. 64, 384—408, Prop. IV 4, 93 sqq.).

2. De unitate.

Aristoteles postulat a poetis epicis haec (art. p. cap. 23, 1459 a 17—20): *δεῖ τοὺς μύθους .. συνεστάναι δραματικοὺς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσα καὶ τέλος.* Sed haec nimis severe ex poesi tragica ducta sunt, et Aristoteles ipse unum Homerum hanc unitatem adeptum esse fatetur, cf. 1459 a 37—b 1: *οἱ δ' ἄλλοι περὶ ἕνα ποιοῦσι καὶ περὶ ἕνα χρόνον καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ.* Videamus nunc, qualis sit unitas epylliorum. — Non semper *περὶ ἕνα ποιοῦσι* poetae epylliorum, sed interdum duo primo loco ponuntur: ut in M. IV Megara et Alcmene, in Th. XIII Hercules et Hylas, in *Hecala*, ut videtur, Hecale et Theseus. Quae ratio, etsi ab Aristotelio praecepto abhorret, tamen nihil offensionis habet[3]). — Neque id apparet ex epylliis, quae

---

[1]) Cf. Legrand l. l. p. 408 sq Haec ratio propinqua est rationi in nonnullis *fasciculis fabularum* (cf. p. 6) adhibitae, ubi non unum, sed multa exempla afferuntur. Nicias quoque incipit a verbis ad amicum missis cf. p. 31).

[2]) Aliter Th. rem instituit in c. XIII, cuius versibus 72 sqq. breviter significat, quae Hylae, Argonautis, Herculi ex rebus narratis evenerint.

[3] Quamquam in Th. XIII haec ratio cum epistula praefixa non congruit; neque enim Theocritus de Herculis amore, quem sibi enarrandum proposuit, inter vs. 15 et 56 quidquam loquitur cf. Legr. l. l. p. 409). — Ceterum in aliis epylliis amatoriis, ut in Th. XI et M. II (cf. *Ciris*, Prop. IV 4) uni primae partes tributae sunt.

manserunt, poetas magnopere operam dedisse, ut res intra parvum temporis spatium factas fingerent. Videlicet, ubi fabula ipsa aut pars, quae electa est, non per diuturnum tempus extenditur, tempus carminum exiguum est, ut in **M.** II et IV. In utraque epistula, Th. XI et XIII, summa argumenti brevis est, sed praeterea refertur de longiore tempore; neque tamen est, quare offendamur. Incommoda autem est in Th. carminis XXIV tertia parte enumeratio, quae ad totam pueritiam Herculis pertinet. Carminis XXV tempus non longum quidem, sed a poeta plane neglectum est (cf. p. 55 n. 3). — *Πρᾶξις* epylliorum, si hanc notionem quam maxime extendimus, ita ut etiam homines euntes, loquentes, patientes pro agentibus habeamus, saepe est *μία*. At Th. XXIV et XXV, epyllia heroica, divisa sunt in partes ternas (cf. p. 55), quae quidem alia ad aliam spectent nec vero unam actionem efficiant [1]. — Denique epylliorum poetas interdum compositionem *scuti* Hesiodei imitatos esse verisimile est (cf. p. 42 n. 3), ita tamen, ut non imagines vitae, sed imagines e fabulis depromptas describerent atque ad hanc descriptionem vario modo alias res eiusdem fabulae annecterent (cf. p. 54). Ac tota fabula inserta, etsi embolium simulatur, potest maioris momenti esse quam narratio, qua circumdatur, cf. Cat. c. 64 [2]). — *Τέλος* quod vocat Aristoteles, deest in **M.** IV et

---

[1]) Singulae partes distincte inter se confliguntur sive argumento valde diverso (cf. Lafaye, *Catulle et ses modèles*, p. 147) sive genere narrationis: in c. XXIV parte I Theocritus praebet vividam rerum narrationem, in parte II paene nihil nisi orationem (cf. p. 53), in parte III enumerationem (cf. p. 55 n. 2); in c. XXV partes I et III, in quibus orationes primum locum obtinent, distinentur parte II, ubi omnis sermo deest. Omnino poetae Alexandrini varietatem amasse videntur, cf. in *Hecala* tranquillitatem casae oppositam pugnae, in M. II Europam somnio sollicitam (vs. 16—27) Europae iocanti (vs. 28 sqq., cf. Legr. l. l. p. 193 de Th. XXIV 1—10 et 11 sqq.

[2]) Catullus in ea parte, quae est de nuptiis Pelei, neminem introduxit, per quem maxime res geratur. Qua ratione feliciter assecutus est, ut fabula Ariadnae inserta praevaleret neque tamen carminis unitas turbaretur.

in utroque carmine tripertito (cf. p. 55 cum n. 2, p. 61, p. 27, Legrand l. l. p. 410 sq.). — Accedit, quod non solum in his epylliis, sed etiam in eis, quae τέλει instructa sunt, poetae inter narrandum saepius id paene oblivisci videntur, cum interdum multo latius, quam unitati convenit, res singulas explicent[1]) neque considerent singulas partes esse totius carminis, cui subiciendae sint Itaque non solum digressiones ultra modum extendunt (cf. M. II 38—62, Th. XXV 118—41, fortasse in *Hecala* res apud volucres gestas) sed etiam singula quaedam, quae ad narrationem ipsam pertinent, minoris tamen sunt momenti, si ipsam actionem primariam spectas, fusius perscribunt; cf imprimis Th. c. XXV pars II, cuius argumentum est hoc: vespere cum greges redirent (vs. 86—99) et Augias Phyleus, Hercules agrestem sedulitatem inspicerent (100—117), Hercules unum ex tauris a Sole Augiae donatis (118—41), qui eum aggrediebatur (142—44), domuit (145-49) maxima cum admiratione spectatorum (150-52)[2]). Item orationes nimis longae ab unitate carminum abhorrent[3]). Denique molestissima est longa enumeratio, quae exstat in Th. XXIV (vs. 103 sq). — Ut res, quae placent, uberrime tractantur, ita ea, quibus poetae non delectantur, omittuntur (cf. p. 5 de Call. h. II 108 sq., p. 53, 55 cum n. 3).

Haud pulchram esse compositionem nonnullorum epylliorum vix quisquam negaverit. Attamen praeceptum illud Aristotelis (cf p. 60) eorumque, qui eum nostra aetate sequuntur, nimis rigidum est. Compositionem enim tam diligenter exactam neque homines antiqui in universum videntur exspectasse[4]),

---

[1]) Haud dubie hoc spectans vituperat Lucianus (de conscr. hist. 57) loquacitatem Callimachi, Euphorionis, Parthenii.

[2]) Similes sunt Prop. IV 4 vs. 73 sqq.; Prop. non certum diem festum tunc actum describit, sed sensus est hic: Tarpeia diem festum Parilium suum tempus rata convenit hostem vs. 81); illa autem notio diei festi in poetae mente in 8 versus 73—80) distrahitur Et poeta rem ita instituit, quamquam facile post vs. 82 veram descriptionem potuit inserere.

[3]) Cf. p. 51 n. 1, 52, 53 Cf. praeterea longum sermonem fuga Helenae excitatum in Colluth. vs. 326—86.

[4]) Cf. **Wilamowitz** (*Timotheos*, *Die Perser*, p. 102) **de generis epici antiqui rhapsodiis: 'es lag in der Natur der Sache, dass das Publikum eine wirkliche Geschlossenheit der Erzählung nicht erwarten konnte.'**

neque scriptores antiqui appetivisse[1]). Adde, quod poetae epylliorum in poesi lyrica, ad quam saepe prope accesserunt[2]), exempla narrationis abruptae invenerunt[3]). Neque abhorret compositio parum accurata a studio veritatis exprimendae[4]), quamquam inde vix potest duci; nam epylliorum scriptores non omnino naturam depingunt, sed suo iudicio eligunt, quae placent. Multo magis compositio manca mihi videtur cohaerere cum discrepantia, quae est inter materiam tractatam et studia poetarum (cf. p. 46 sqq., 49): mythos, quibus singulae res continentur, neglegunt, toti in eis rebus, quas in deliciis habent, occupati. Quo facillime fieri potest, ut eas praeclare depingant, sed totum ponere nesciant.

Addenda et corrigenda.

Ad. p. 11: Discrepantiam illam, quae in vita I Apollonii inest, Steinberger, *Die Lebensbeschreibungen des Apoll. Rhod*, *Progr. Regensburg* 1902/3, p. 16 sq. ita tollere conatur, ut ἐφέστιον pro ἔφηβον scribendum esse coniciat. Sed haec opinatio plane incerta est.

P. 35 interpunctio non post 'secundum' vs. 2, sed post 'φάρμακα' vs. 3 ponenda est. P. 39 vs. 3 sq. lege 'causa profectum'; p. 40 vs. 5 'hanc', vs. 12 sq. 'incredibile', adn. 1 vs. 2 'explicat'; p. 44 vs. 23 'processusque'; p. 48 vs. 1 'nympharum'.

---

1) Cf. ea, quae Diels de operibus oratione prosa perscriptis (quae et ipsa summa cum accuratione elaborari solebant) *Gött. gel. Anz.* 1894 p. 307 disseruit: 'Das Altertum hat in der klassischen Zeit den Begriff eines litterarischen Organismus theoretisch wohl gekannt, das Ideal in Ausnahmefällen auch wohl einmal erreicht, aber im Ganzen nicht einmal erstrebt.'

2) Cf. Th. XI, M. IV; p. 51, 52, 53, Wilamowitz, *Textgeschichte d. griech. Lyriker*, p. 16.

3) Cf. Wilamowitz, *Timotheos*, p. 103: 'Spätere Epik hat mit Raffinement diese Abgerissenheit nachgebildet.'

4) Cf. p. 46 sqq.; sed. cf. etiam p. 52 n. 2.

Tabula argumenti.

Caput III:

De epylliorum proprietate . . . p. 44—63

VITA.

Johannes Paulus Heumann natus sum a. d. VII. Kal. Maias anni 1880 in oppido principatus Schwarzburgo-Rudolphopolitani, cui est nomen Koenigsee, patre Hugone, matre Maria e gente Flemming, quos ambos superstites esse summo mihi est gaudio. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus ab anno 1890 ludum privatum patriae, deinde ab anno 1893 gymnasium Rudolphopolitanum frequentavi. Maturitatis testimonio vere anni 1899 instructus operam navavi studiis philologis Germanisque Lipsiae, Friburgi (aestate 1900), Berolini (hieme 1900/1), denique iterum Lipsiae. Docuerunt me viri illustrissimi de Bahder, Brugmann, Elster Heinze, Hofmann, Holz, Immisch, Koester, Lipsius, Martini, Marx, Mogk, Sievers, Sommer, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth, Wundt Lipsienses; Hense, Kluge, Rickert, B. Schmidt, Steup, Thumb Friburgenses; Diels, Huebner (†), Kaftan, Kekulé de Stradonitz, Paulsen, E. Schmidt, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, de Winterfeld Berolinenses.

Friburgi sodalis fui seminarii philologi moderantibus Schmidtio et Hensio, seminarii Germanici moderante Klugio; Berolini proseminarii philologi moderantibus Dielsio, Heinzio, Helmio, Lipsiae interfui proseminario philologo Immischii (1) et Martinii (2), seminario historico Wachsmuthii (3), Germanicis proseminariis Sieversii (2) et Koesteri (1), seminario Sieversii (1); in seminarium paedagogicum proximo semestri me recepit Jungmann.

Omnibus his viris humanissimis, praecipue Wachsmuthio et Martinio, maximas ago gratias.